

DE ENTE SUPERNATURALI

Supplementum schematicum.

Duplex exstat quaestio praevia: cur de ente supernaturali tractetur; cur ab ente hoc abstractissimo ordiamur.

De ente supernaturali tractatur ut explicetur gratuitas gratiae. Si enim gratuitum Dei donum non esset, gratia non esset. Ex parte quidem haec gratuitas explicatur quia in Adamo peccavimus et ideo iuste eis privamur quibus ante peccatum Adamus gavisus est. At haec explicatio est partialis tantum et minor totius atque facilior pars. Maxime gratia est donum gratuitum quia excedit proportionem nostrae naturae, quia supernaturalis est.

Si vero quis mavult dictis Sacrae Scripturae et SS. Patrum ita esse contentus ut theologorum explicationes missas facere, faciat, audiat Aquinatem:

"... quilibet actus exsequendus est secundum quod convenit ad suum finem. Disputatio autem ad duplicem finem potest ordinari. Quaedam enim disputatio ordinatur ad removendum dubitationem an ita sit; et in tali disputatione theologica maxime ~~sunt~~ utendum est auctoritatibus... Quaedam vero disputatio est magistralis in scholis, non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores ut inducantur ad intellectum veritatis quam intendit: et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem, et facientibus scire quomodo sit verum quod dicitur: alioquin si nudis auctoritatibus magister quaestionem determininet, certificabitur quidem auditor quod ita est; sed nihil scientiae vel intellectus acquireret, sed vacuus abscedet." Quodl., IV, q. 9, a. 18, c.

Agitemus ergo quaestionem magistralem, non utrum gratia sit gratuita, sed cur sit gratuita vel quaenam sit radix huius veritatis.

Quantum ad ordinem attinet, planum est duplicem ordinem esse possibilem, vel resolutoriū qui de veritatibus revelatis ad eorum ordinationem intelligibilem procedit, vel compositoriū qui ex intelligibili ordinatione ad ordinanda descendit.

Iam vero ubi pueri sunt instruendi, praecepta paedagogica imponunt ordinem resolutoriū: pueri enim nisi ex multiplicatis et repetitis exemplis nihil capiunt. At ubi auditores sunt maturiores, ubi acies mentis valet ex paucis exemplis ad totius intelligentiam pervenire, longe praestat ordo compositoriū ~~ut~~ memoria non oneratur et dulcedo intelligendi expellit laborem.

in quo
A

THESIS I.

Existit creata communicatio divinae naturae, seu principium creatum, proportionatum et remotum quo creaturae insunt operationes quibus attingitur Deus uti in se est.

Scopus:

1) Colliguntur veritates ex tractatibus de Verbo Incarnato, de Gratia Habituali, de Virtutibus Infusis, de Deo Fine Ultimo.

2) Quae veritates collectae in unum ordinem rediguntur sub ratione communicationis divinae naturae.

Quare materialiter thesis nihil asserit quod alibi non tractetur et probetur; sed formaliter sumpta thesis addit ordinacionem materiae aliunde derivatae.

Notiones quaedam praeviae:

natura: substantia prout est principium remotum operationum.

substantia: id cui competit esse per se
essentia simpliciter dicta.

Haec definitio est accuratior: "per se" dicit habitudinem alicuius ad se ipsum, ideoque est relatio rationis tantum (C. Gent., I, 25, fin); essentiae simpliciter dictae opponitur essentia secundum quid, seu accidentis ontologici quod habet quidem essentiam et "quod quid esset" non perfecte sed cum ordine ad aliud in quo est.

operatio: actus secundus.

est notio primitiva, ideoque per exempla tantum exponi potest, puta, moveri, lucere, sentire, intelligere, velle.

principium: quod est primum in aliquo ordine.

Maxime disinguitur duplex ordo, ordo cognoscendi et ordo essendi, seu "quoad nos" et "quoad se."

In ordine cognoscendi principia seu prima sunt ipsae operationes quae directe experimur et ex quibus expertis procedimus in cognitionem potentiarum accidentalium et ipsius substantiae.

In ordine essendi seu "quoad se" principium remotum est substantia, ex qua profluunt potentiae accidentales, in quibus tamquam in principiis proximis recipiuntur operationes.

proportio: paritas habitudinum

v.g., sicut A se habet ad B, ita C se habet ad D.

proportio naturae: paritas habitudinum inter substantiam et esse, potentias accidentales et operationes.

Haec naturae proportio declarari solet per varia effata:
 1) Potentiae accidentales profluunt ex substantia; 2) Operari sequitur esse; 3) Esse recipitur in substantia et ab ea limitatur;
 4) Operatio recipitur in potentia accidentali et per eam limitatur.

Metaphysica expositio huius proportionis habetur in tractatu de angelis, Sum. Theol., I, q. 54, aa. 1-3.

Sine hac naturae proportione non potuissemus ex operationibus eludere concludere ad existentiam et differentiam potentiarum (voluntas, intellectus possibilis, intellectus agens, etc.) neque ad existentiam et differentiam animae humanae et animae beluinae, neque ad illius spiritualitatem et huius materialitatem, etc. Proportio enim naturae est ipsius naturae obiectiva intelligibilitas.

Termini:

existit: vere asseritur esse a parte rei
 sive ad modum veritatis particularis, uti unio hypostatica, sive ad modum veritatis generalis, uti de oeconomia salutis. ~~per se~~ ~~utrum~~ ~~institute~~.

creata: ens finitum et contingens

communicatio: id quo commune fit quod secus esset proprium (non commune).

divina: pertinens ad actum purum, Deum unum et trinum.

proportionatum: secundum legem proportionis naturae.

remotum: remotum est principium ex quo profluunt principia proxima in quibus ipsae operationes recipiuntur.

attingere: habitudo actus ad obiectum

Deus uti in se est: actus purus et infinitus qua talis opponitur Deo uti ad extra imitari potest, et ideo dicit rationem quae creaturae inesse vel creatara esse non potest.

Quid sit creata communicatio divinae naturae.

Uti in ipsa enuntiatione declaratur, creata communicatio divinae naturae est principium creatum, proportionatum et remotum quo creature insunt operationes quibus attingitur ipse Deus uti in se est. Ad cuius pleniorum intelligentiam exponemus 1) quaenam sint operationes quibus attingitur ipse Deus uti in se est, 2) cuinam iure suo vindicantur operationes eiusmodi, 3) in quibusnam etiam inveniuntur, 4) quemadmodum ex ipsis operationibus ad communicationem creatam divinae naturae concludatur, et 5) quid sit increata communicatio divinae naturae.

1) Duae sunt operationes quibus attingitur ipse Deus uti in se est: in intellectu, visio beatifica; in voluntate, actus caritatis.

Beatus enim intuitive et immediate videt ipsum Deum uti in se est; videt Deum et non creaturam quamdam; videt Deum totum, etsi non totaliter seu ea perfectione qua Deus se ipsum cognoscit. Vide, De Deo Fine Ultimo, De Deo Uno.

Beatus etiam ~~ma~~ amat quod intellectu apprehendit; amat ergo ipsum Deum uti in se est; et quidem amat non propter propriam utilitatem vel delectationem sed propter bonitatem ipsius Dei obiectivam, nam amat Deum sicut amicus amicum.

Praeterea, eadem specifica est charitas viae et patriae, testante Paulo "Charitas numquam excidit" (1 Cor 13, 8; vide Sum. Theol., I-II, q. 68, a. 6).

2) Christus Dominus, Deus simul et homo, isque solus iure sibi vindicat eiusmodi operationes.

Nam sine beatifica visione Christus ut homo non cognosceret se ipsum qua Deum prout Deus est Deus. Pariter sine caritate Christus ut homo a Christo ut Deo divaderetur quoad voluntatem. Operari sequitur esse: qui est homo etiam est Deus, et quidem non imitatio quaedam Dei sed ipse Deus infinitus; ex "esse Deum" sequitur cognoscere et ~~maxima~~ amare Deum prout in se est.

Alius vero nemo praeter Christum est Deus simul et homo, vel Deus simul et angelus; cum nemo aliis habet "esse Deum," nemo aliis sibi iure vindicat cognoscere et amare Deum uti in se est.

3) Etiam inveniuntur eiusmodi operationes, quoad visionem et caritatem in beatis angelis et hominibus, quoad caritatem tantum in protoparentibus ante peccatum, in viatoribus iustificatis, in animabus purgatorio detentis.

Quibus omnibus insunt hae operationes, non iure quodam sed gratis, aliter tamen et aliter. Unde distinguuntur:

Gratia Dei quae collata est angelis et protoparentibus.

Gratia Redemptoris quae confertur post Adae peccatum et intuitu meritorum Christi redemptoris.

Quae divisio est in extrinseca: fundatur enim in subiecto receptiente et non in ipso dono quod recipitur.

Gratia Christi dici potest vel gratia Dei vel gratia redemptoris: nam Christus est Deus, in quo omnia constant (Col. 1, 17); et Christus est exemplar omnium quibus insunt hae operationes

4) Ex naturae proportione concluditur ad creatam communicationem naturae divinae.

Si bos intelligeret et velle, non solum dices eum habere intelligere et velle sed etiam intellectum possibilē et voluntatem; unde ulterius colligeres corpus bovinum informari anima intellectiva.

Pariter, quibus insunt operationes quibus attingitur ipse Deus uti in se est, eisdem insunt non solum principia proxima harum operationum, nempe, lumen gloriae et habitum caritatis, sed etiam principium proportionatum remotum earumdem operationum; quod principium est id quod dicimus communicationem naturae divinae, et cum sit contingens, etiam necesse est ut sit finitum et creatum.

Quod tamen principium est duplex: aliud principale, aliud secundarium.

Principale est unio hypostatica, seu gratia unionis, quo hic homo, DNIC, vere et realiter est Deus. Non enim vacuum nomen sufficit sed obiectiva realitas requiritur ut hic homo vere dicitur Deus; quae realitas, cum sit contingens, etiam est creatum quid atque finitum.

Secundarium est gratia sanctificans seu habitualis, qua sumus filii Dei, consortes divinae naturae, iusti, amici Dei, etc. Vide de gratia habituali et DB 799 s.

5) Praeter creatas communicationes divinae naturae, etiam existunt increatae communicationes duae. Pater Filio, Pater et Filius Spiritui sancto communicant divinam naturam.

Quae communicationes sunt aeternae, necessariae, et increatae. Increatae sunt, nam realiter identificantur cum processionibus divinis, quae realiter identificantur cum relationibus divinis ad intra, quae realiter identificantur cum essentia divina, quae realiter identificatur cum esse divino increato. Vide de Deo trino.

Quid in nobis sit creata communicatio divinae naturae.

Materialiter substantia et natura sunt eadem; formaliter natura differt a substantia in quantum natura est substantia non qua substantia sed qua principium proportionatum et ~~et~~ remotum relate ad operationes.

Pariter Pariter, habetur materialis identitas et formalis diversitas inter gratiam sanctificantem et creatam in nobis communicationem divinae naturae. Haec enim communicatio est gratia sanctificans non qua talis sed in quantum est principium proportionatum et remotum relate ad operationes quibus attingitur Deus uti in se est.

Quare, quaestio disputata, utrum nempe realiter gratia sanctificans a habitu caritatis distinguatur, afficit non substantiam sed modalitatem ordinationis in hoc tractatu: non afficit substantiam doctrinae, nam omnes scholae catholicae admittunt creatam communicationem divinae naturae; afficit modalitatem ordinationis, quia aliter alii intelligibilem materiae ordinationem exponunt.

Adversarii:

Vide theses quae directe agunt de unione hypostatica,
visione beatifica, caritate, gratia sanctificante.

Qualificatio:

1. Materialiter spectata, thesis sequitur qualificationem
datam in singulis thesibus de unione hypostatica, visione
beatifica, caritate, gratia sanctificante.

2. Formaliter spectata, thesis est ordinatio huius materiae
scdm analogiam naturae et scdm nexum mysteriorum inter se,
et sic sequitur doctrinam Vaticani, DB 1796.

3. Analogia naturae quae adhibetur est dicta "proportio
naturae" inter substantiam et esse, potentias accidentales
et operationes.

Omnino admittenda est quaedam naturae proportio: secus
quis non satisfaceret definitionibus ecclesiae de anima ut
forma corporis, ut immortali, etc., DB 481, 738.

Illa proportio quae in thesi adhibetur est ad mentem
D. Thomae cuius doctrinae, methodo, principiis inhaerere
lubemur.

4. Nexus mysteriorum inter se qui adhibetur, est ~~natura~~
scdm notionem communicationis quae invenitur in ipsa SS.
Trinitate, in assumptione naturae humanae a Verbo divino,
in vita nobis palmitibus gratis data ab eo qui dixit, Ego
sum vitis, vos palmites.

Probatio:

1. Ex SSer., 2 Petr 1, 4: "ut per haec efficiamini divinae
consortes naturae."

Saltem verbotenus hic textus idem dicit quod thesis
inquantum asserit communicationem (κοινωνία) divinae naturae.

Sed etiam re idem dicit, spectatis quae in evangeliis
et epistolis inveniuntur de vita per Xtum, in Xto, de caritate
Dei infusa in cordibus nostris, de futura Dei cognitione.

Quod confirmatur ex interpretatione PP qui saepe loquuntur
de quadam nostrum deificatione. Vide RJ series 358.

2. Haec divinae naturae communicatio est creata, ex eodem
constat: non enim efficimur sine quadam mutatione; quae est
ens contingens et finitum et ideo creatum sensu theseos.

Accedit consensus TT et definitio Tridentina, DB 799, 821.

3. In hac creata communicatione divinae naturae distinguendum est inter operationes quasdam divini ordinis (visionem et caritatem) et earumdem operationum principia cum proxima tum remota.

Nam intelligentia theologica est secundum analogiam naturae (DB 1796).

Sicut ergo philosophus determinat homini inesse non solum actus intelligendi sed etiam intellectum possibilem, animam intellectivam, et animam per se subsistenter, pariter theologus non solum ponit in iusto caritatem et in beato visionem, sed etiam habitum caritatis, lumen gloriae, et horum remotum principium, gratiam sanctificantem.

Obiditur:

1. Thesis inutiliter ponitur: nihil enim asserit quod alibi non melius tractetur et clarius demonstretur.

R. Thesis materialiter spectata, C; formaliter spectata, N.

Prius enim oportet colligere et ordinare entia quae proprietatem supernaturalitatis habent quam ipsam hanc proprietatem investigare.

2. Thesis ponit fundamentum labile ad investigationem supernaturalitatis.

Ponit enim creatam communicationem divinae naturae, principally in Christo per unionem hypostaticam, secundario in iustis per gratiam sanctificantem. Sed utrumque est merum placitum cuiusdam scholae, neque plus quam probabile. Scotus enim et Tiphanus aestimant unionem hypostaticam non esse realitatem sed potius negationem. Scotus negat gratiam sanctificantem esse aliam realiter quam habitum caritatis.

R. Ponit fundamentum cum debili censura theologica, C; ponit fundamentum labile, N.

Censura theologica fundatur in clara et aperta connectione revelatis/cum veritatibus/theologieis; signum eiusmodi connectionis est consensus theologorum, quasi non possent theologi consentire nisi clarissima et apertissima esset connectio, secundum illud Sex. "numanya stultarum infinitus."

Scientia theologica est intelligibilis ordinatio veritatum revelatarum; sapientis autem est ordinare; quare ad scientiam theologicam plus valet unus vere sapiens quam sescenti minus sapientes.

Praeterea, oppositio scholarum hac in re non in eo consistit quod alia affirmit et alia negat creatam communicationem divinae naturae; omnis schola hoc affirmit. Oppositio in eo est quod alia schola aliter ipsam naturam concepit; eiusque analogiam concipit, et alia aliter; quod non afficit fundamentum investigationis supernaturalitatis sed modum ordinandi intelligibiliter entia supernaturalia.

THESIS II.

8

Haec creata divinae naturae communicatio non solum naturae humanae sed etiam cuiuslibet finitae substantiae proportionem excedit ideoque est supernaturalis simpliciter.

Scopus:

Stabilitur proprietas fundamentalis quae in creata communicatione divinae naturae elacet. Haec proprietas fiet regula et fons caeterorum omnium quae in hoc tractatu sunt dicenda.

Notiones praeviae:

naturale: quod iacet intra naturae proportionem
quod ad naturam pertinet sive constitutive, sive consecutive sive exigitive.

Stricte constituitur natura per substantiam (forma pura in angelis, forma substantialis cum materia in materialibus).

Late constituitur natura per substantiam, esse substantiam sequens, et accidentia quae ex substantia profluunt.

Consequitur naturam principaliter finis, qui est operatio vel operationum complexus, secundario vero quae in subiecto recipiuntur in ordine ad finem vel ex fine adepto.

Exiguntur a natura conditiones extrinseciae cum tou esse tum tou bene esse, scil. ut sit et in maiore parte finem attingat.

Differunt duae definitiones datae, in quantum prima analytice statuit quod altera enumerando describit. Caeterum, idem dicunt, quamvis interdum reflexio requiratur ut identitas perspiciat. Exemplo sit concursus necessarius ad exercitium causalitatis efficientis: scdm descriptivam defini enumerationem eiusmodi concursus est naturalis quia a natura exigitur; scdm analyticam definitionem est naturalis quia iacet intra proportionem naturae finitae ut adhiberi possit et de facto adhibeat tamquam instrumentum ad effectus producendos.

supernaturale: quod excedit proportionem alterius naturae, seu superioris est gradus entitatis et perfectionis. Iterum, descriptive, quod ad naturam pertinet neque constitutive neque consecutive neque exigitive.

Supernaturale scdm quid (relativum): quod huius vel illius naturae proportionem excedit.

supernaturale simpliciter (absolutum): quod excedit proportionem cuiuslibet substantiae finitae (sive creatae sive creabilis).

Supernaturale dicitur non per oppositionem sed per comparationem ad naturam: supponit ordinem cosmicum secundum quem alia entia aliis antecedent in perfectione; nominat ordinem quemdam seu gradum sive superiorem sive summum; minime negat huic gradui superiori vel summo inesse illa-intelligibilitas-objectiva-quae obiectivam illam intelligibilitatem, cohaerentiam, proportionem, harmoniam quam per nomen "natura" "naturale" indicare solemus; sed negat inferiori ordini vel gradui inesse perfectionem quae superiori est propria, imo quae facit ut superior vere sit superior.

Sensus theseos:

Determinatur excellentia ontologica creatae communicationis naturae divinae de qua in thesi antecedenti.

Statuitur haec excellentia excedere 1) perfectionem propriam naturae humanae et 2) cuiuslibet substantiae finitae.

Adversarii:

Contra primam partem adversarius praecipuus atque directus est Baius qui damnatus est a S. Pio V. DB 1001-80.

Admisit Baius gratuito nobis a Deo conferri communicationem divinae naturae: quae tamen gratuitas explicare conatus est, non ex supernaturalitate huius doni, sed ex eo quod iuste ~~se~~ naturalibus privamur propter peccatum protoparentis. /per se

Non docuit caritatem et deinde visionem/resultare ex ipsis principiis naturalibus debite adhibitis; sed tamen docuit ea a natura innocentia exigi et ideo Deum teneri ea conferre.

- Errores Baianos renovaverunt:
a implicite Iansenius, DB 1092-96
b explicite Quesnel, DB 1351-1421
c explicite synodus Pistoriensis, DB 1516-25.

Indirecte et reductive contra primam partem longa haereticorum series enumerari potest; quae tamen enumeratio melius omittitur.

Contra secundam partem adversarii sunt scholastici quidam, praecipue Ripalda quocum addes Molinam, Valentiam, Morlaix.

Hi opinati sunt vel non repugnare vel de repugnantia non constare ~~mixtis~~ dicti eiusmodi: Deum posse creare substantiam adeo perfectam ut naturaliter ei deberetur communicatio divinae naturae.

sicut clariss

ita etiam

Qualificatio:

a Theologice certum est creatam communicationem naturae divinae excedere proportionem naturae humanae.

Et quidem dupliciter: primo, ex consensu theologorum inde a saec. XIII, accedente Vaticano (DB 1786: "finis supernaturalis"); deinde ex impossibilitate negandi hanc supernaturalitatem quin multi errores logice sequantur (vide DB 1001-80; 1092-96; 1351-1421; 1516-25).

b Probabilius et longe communius est creatam communicationem divinae naturae excedere proportionem cuiuslibet substantiae finitae.

Probatur per partes:

Prima pars: Crea communicatio divinae naturae excedit proportionem naturae humanae.

~~Aut haec communio communicatio est nobis indebita et gratuita quia excedit proportionem nostrae naturae, aut~~

~~haec communicatio est nobis indebita et gratuita aut quia excedit proportionem nostrae naturae aut quia in Adamo peccatores iuste privamur eis quae intra nostrae naturae proportionem iacent.~~

~~At qui alterum membrum admitti non potest.~~

Ergo primum membrum est admittendum.

ad maiorem:

~~Supponitur communicatio esse nobis hic et nunc indebita et gratuita; hoc suppositum per longum et latum demonstratur ubi de necessitate gratiae in nostro statu actuali; praeterea, de hac gratuitate nulla est controversia inter nos et Baianos, Iansenistas, Quesnelianos, Pistorienses synodales.~~

~~Maior utique non ponit disjunctionem completam: nam communicatio potest esse gratuita propter utramque rationem; quod tamen non est contra intentum~~

~~Maior ponit enumerationem completam et quidem per dichotomiam: aut enim communicatio excedit proportionem nostrae naturae aut intra istam proportionem iacet~~

Probatur per partes:

Prima pars: *Creata naturae divinae communicatio excedit proportionem naturae humanae.*

Haec emm communicatio est nobis indebita atque gratuita aut quia nostrae naturae proportionem excedit qm^t aut quia iuste (v.g. propter peccatum Adami) privamur eis quae intra proportionem nostrae naturae iacent.

Atqui alterum membrum admitti nequit.

Ergo primum membrum est admittendum, scil. *creata naturae divinae communicatio excedit proportionem nostrae naturae.*

ad maiorem:

Maior est evidens nam asserit enumerationem completam et quidem completam ratione dichotomiae: aut excedit aut iacet intra proportionem nostrae naturae; tertium non datur.

Maior utique supponit communicationem esse nobis indebitam et gratuitam; quod tamen per longum et latum alibi et independenter demonstratur ubi de necessitate gratiae; praeterea, Baius eiusque sequaces nullo modo dubitant de hac gratuitate.

At hoc suppositum intrat in argumentum materialiter tantum; tota vis est in disiunctione inter rationes cur communicatio sit nobis gratuita.

ad minorem:

Admitti nequit doctrina damnata uti haeretica, erronea, suspecta, temeraria, scandalosa, offensiva respective scdm diversas eius consequentias.

Atqui eiusmodi est doctrina fluens ex altero membro.

Ergo alterum membrum admitti nequit.

Maior haec evidens videtur.

Minor probatur deducendo ex altero membro propositiones damnatas Baii, Iansenii, Quesnelli, Synodi Pistoriensis.

Quia communicatio divinae naturae est debita homini naturaliter, sequitur radicem merendi vitam aeternam non esse supernaturalem qualitatem op^rum meritoriorum sed eorumdem conformitatem ad legem. Et ita Baius damnatus, DB 1001-20.

Sequitur pariter nullam esse elevationem supernaturalem ad hanc communicationem. Et ita Baius DB 1021X-24; 1055; 1078 s; Quesnel 1385; Synodus Pistor., 1522.

Sequitur hominem lapsum, qui aerto non potest mereri vitam aeternam sine gratia, etiam non posse legem impleret sine gratia. Quare omnia opera infidelium sunt peccata, DB 1025-30, 1034-38; imponitur necessitas peccandi, DB 1046-55; 1074-76; 1092; 1389; 1519; destruitur vera libertas, DB 1039-41; 1093 s; 1388; 1523.

Sequitur radicalem antithesin non esse inter naturale et supernaturale sed inter bonam et malem voluntatem seu inter caritatem divinam et pravam concupiscentiam, DB 1031-38, 61-65.

Sequitur aliud esse implere legem seu habere caritatem, et aliud esse habere remissionem peccatorum, DB 1042-44, 1056-61, 1069-73.

Brevi, aut status cum gratia est supernaturalis, aut status sine gratia est infranaturalis, sine vera libertate, cum necessitate peccandi. Optime Baius pessimas conclusiones deduxit.

Ex falso supposito



13
 Pars Altera: *creata communicatio naturae divinae excedit proportionem cuiuslibet substantiae finitae et ideo est simpliciter supernaturalis.*

Brevitatis et claritatis causa scribetur:
 "A" loco scribendi "creata communicatio naturae divinae"
 "B" loco scribendi "quaelibet substantia finita"
 "C" loco scribendi "Deus uti in se est"
 "D" loco scribendi "Deus prout ad extra imitari potest"

Si A est superioris ordinis ontologici quam B, A excedit proportionem B.

Atqui A est superioris ordinis ontologici quam B.
 Ergo A excedit proportionem B.

Maior est evidens, nam antecedens et consequens eamdem rem diversis nominibus enuntiant. Minor probatur.

Si A definitur per C et B definitur per D, A est superioris ordinis ontologici quam B.

Atqui A definitur per C et B definitur per D.
 Ergo A est superioris ordinis ontologici quam B.

Maior est evidens, nam Deus, uti in se est, est Deus qua infinitus; et Deus qua infinitus est perfectior quam qui ad extra imitari possit. Minor probatur per partes.

A definitur per C: nam creata communicatio naturae divinae definitur in thesi prima "principium creatum, proportionatum, remotum ad actus quibus attingitur ipse Deus uti in se est."

B definitur per D: nam quaelibet substantia finita definiri potest per rationem scdm quam Deus ad extra imitari potest; vel aliter: si substantia finita definiri potuit per Deum uti est in se, non esset finita sed infinita.

Ad assertum additum: Et ideo est simpliciter supernaturalis.

Quod excedit proportionem cuiuslibet finitae substantiae est simpliciter supernaturale.

Atqui creata communicatio naturae divinae excedit proportionem cuiuslibet finitae substantiae.

Ergo haec communicatio est simpliciter supernaturalis.

Maior est definitio; minor probatur supra.

Obicitur:

1. Doctrina Baii, Jansenii, etc., est doctrina S. Augustini.
Atqui doctrinam S. Augustini remici non oportet.
Ergo doctrinam Baii, Jansenii, etc., reici non oportet.

R. Ad maiorem. Negatur identitas.

Baius et Jansenius maxima diligentia et studio opera S. Augustini investigaverunt; summam similitudinem inter sententias suas et sententias S. Augustini curaverunt; sed etiam addiderunt systema quod utique ex dictis S. Augustini sponte consurgere crediderunt.

Quod sistema est vera additio: propositiones enim damnatae Baii et Jansenii apud Augustinum non inveniuntur; neque ~~sunt~~ haec eorum additio necessario consurgit ex dictis S. Augustini, cum theologi mediaevales pari zelo opera S. Augustini investigaverunt investiaverint et ad conclusiones oppositas pervenerint.

Differentiae inter S. Augustinum, theologos mediaevales, et Baium, Jansenium, etc., sunt sic brevissime ~~comae~~ describuntur:
S. Augustinus theorema de supernaturali omisit sed non exclusit.

Theologi mediaevales theorema de supernaturali elaboraverunt et addiderunt ad normam evolutionis speculationis theologicae.

Baius et Jansenius sistema positive excludens theorema de supernaturali excogitaverunt, et omissionem Augustini tamquam positivam exclusionem falso interpretati sunt.

Ad minorem. Distinguo.

Doctrinam S. Augustini remici non oportet, C, perfici non oportet, N.

Et addo rationem cur perfici oporteat. S. Augustinus erat in genere contentus affirmare quae in deposito fidei inveniuntur circa gratiam et libertatem. At munus theologicum praeterea includit aliquam intelligentiam mysteriorum (DB 1796).

2. Qui nimis probat, nihil probat. Atqui argumentum datum ad secundam theseos partem nimis probat. Ergo nihil probat.

Et probatur minor: si valeret argumentum, ~~est~~ creatum communicatio naturae divinae evaderet impossibilis; atqui impossibilis non est, ex thesi prima; ergo argumentum non valet.

Et maior proxima probatur: quod definitur per Deum uti in se est, est infinitum; creatum communicatio definitur per Deum uti in se est; ergo est infinitum; et tamen dicitur creatum i.e. finitum.

~~Primum~~ Ad probationem ultimam, i.e. maioris proximae.

Distinguitur maior: substantia definita per Deum uti est in se, est infinita ~~est~~ simpliciter, C, nam substantia est essentia simpliciter dicta et ideo definitur per id quod ipsa est et sine habitudine ad aliud extra se; aliud, praeter substantiam, definitum per Deum uti in se est, est infinitum simpliciter, N, nam aliud praeter substantiam non est essentia simpliciter sed secundum quid et in se includit habitudinem ad aliam essentiam.

R. Ad probationem ultimam seu quae dicitur maioris proximae.

"Quod definitur per Deum uti est in se, est infinitum"

Distinguo: substantia definita per Deum uti in se est, est infinita, C; aliud praeter substantiam ita definitum est necessario infinitum, sub-distinguuo, infinitum scdm quid, C, infinitum simpliciter, N.

"Atqui creata communicatio divinae naturae definitur per Deum uti est in se"

Contra-distinguuo: et est substantia, N; aliud praeter substantiam, C.

"Ergo creata communicatio est infinita"

Pariter distinguuo: est infinita simpliciter, N; est infinita scdm quid, scil. inquantum ordinatur ad attingendum Deum uti est in se, C.

m w

Explicantur distinctiones:

Non omnia possunt definiti per habitudinem ad aliud; secus adesset nihil praeter circulum vitiosum. Ergo aliqua saltem definiuntur per se ipsa et sine habitudine ad aliud; et haec sunt substantiae, quae definiuntur essentiae simpliciter dictae scil. essentiae tantum, essentiae quae non includunt in ratione propria quamdam habitudinem ad aliud.

Quare, cum substantia sit id quod definitur per id tantum quod ipsa est in se, sequitur substantiam definitam per Deum uti in se est esse Deum et infinitum.

Proinde, sicut non omnia possunt definiri per habitudinem ad aliud, ita non p omnia possunt definiri sine habitudine ad aliud. Et eiusmodi sunt omnia praeter substantiam: ita esse est actus substantiae; accidens est cui competit esse in alio, scil. in substantia; operationes cognoscibivae et appetitivae, praeter divinam, non solum in alio sunt sed etiam aliud (nempe, obiectum) respiciunt.

Et de his, si definiuntur per Deum uti in se est, non statim critur difficultas: non enim definiuntur tantum per id quod ipsa sunt sed etiam per id cui insunt et per id ad quod sunt.

Additur cautio:

Ne tentaveris ad positivam et intrinsecam intelligentiam creatae communicationis naturae divinae. Haec communicatio pertinet ad ordinem fidei et mysteriorum. Primo et maxime querenda est exclusio contradictionis; post, quantum fieri potest, aliquam intelligentiam imperfectam ad normam DB 1796 querere licebit.

THESIS III.

Actus non solum virtutum theologicarum sed etiam aliarum virtutum, inquantum in parte rationali et sicut sicut oportet a christiano elicantur, simpliciter supernaturales sunt quoad substantiam et quidem ratione obiecti formalis.

Scopus:

Extenditur campus supernaturalitatis.

In prima enim thesi sola principaliora in medium afferebantur, nempe, unio hypostatica, gratia sanctificans, caritas, visio beatifica. Quatenus his constituitur, creata communicatio divinae naturae in secunda thesi demonstrata est esse simpliciter supernaturalis.

At creata communicatio divinae naturae totum renovat hominem: vetus enim homo est totus deponendus et novus homo est in Christo induendus. Quae conformatio vitae nostrae ad vitam Christi maxime in actibus virtutum elucet. Quaeritur ergo utrum hi actus sint simpliciter supernaturales et qua ratione supernaturales esse cognoscantur.

Termini:

Actus: scil. secundus.

Virtus: habitus operativus bonus.

Virtutes theologicae: fides, spes, charitas.

Virtutes aliae: prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, ad quas caeterae virtutes omnes reduci solent.

In parte rationali: scil. in intellectu vel in voluntate, non autem in parte sensitiva, uti in concupiscibili vel in irascibili.

Sicut oportet a christiano: sub-lumine-fidei-in-ordine-ad vitam-aeternam. scdm regulam quae lumine fidei cognoscitur et in vitam aeternam ordinat.

Eliciuntur: scil. fiunt.

Supernaturale simpliciter: quod excedit proportionem cuiuslibet substantiae finitae.

Quoad substantiam: scil. quoad essentiam.

Obiectum formale: obiectum quatenus operatione attingitur.

Notiones praeviae:

Actus secundus: magis indigitatur quam definitur; in linea substantiali est esse; in linea accidentalis est moveri, lucere, calefieri, sentire, intelligere, velle.

Actus secundus dividitur in actum perfecti et actum imperfecti.

Actus perfecti est actus existentis in actu. Est operatio proprie dicta.

Actus imperfecti est actus existentis in potentia prout huiusmodi. Est motus stricte dictus.

Descriptive, actus perfecti seu operatio est actus secundus qui/instanti perfici potest et totus existit quamdiu perdurat; actus autem imperfecti seu motus est actus secundus qui in instanti perfici non potest sed partim existit in singulis temporis partibus quamdiu perdurat.

Operatio dividitur in rationalem et non-rationalem.

Operatio rationalis est intrinsece reflexa[#] seu attingit obiectum propter motivum sufficiens.

Exempla: dico "quod quid est" seu essentiam propter eius intelligibilitatem-in-se; affirmo verum propter eius intrinsecam evidentiam; credo verum propter auctoritatem attestantis; spero bonum futurum propter auxilium promissum; amo Deum amicum propter eius bonitatem.

Operatio non-rationalis non est intrinsece reflexa; dici potest attingere obiectum suum propter motivum, in quantum alia operatio reflexa hoc percipit; sed ipsa operatio non-rationalis non attingit suum motivum qua motivum. Ita visus videt colorem propter lumen, sed quamvis visus videat et lumen et colorem, non percipit ~~propter~~ ^{"propter," saepe non} percipit lumen qua motivum percipiendi colorem.

Actus primus est principium quo actus secundus specificé determinatus per se inest subiecto. Ita gravitas vel forma gravitatis est actus primus, in physica Aristotelica, quia est principium quo grave per se movetur deorsum. Similiter potentiae sensitivae exteriores (visus, auditus, etc.) sunt principia quibus per se operationes sensitivae (videre, audire, etc.) insunt organis sensitivis. Similiter habitus operativi in intellectu (scientia) et in voluntate (virtus, vitium) sunt principia quibus per se operationes (scientiae, virtutis, vitii) intellectui vel voluntati insunt.

Obiectum (antikeimevov) est id quod operationi opponitur.

Inter obiectum et operationem viget ratio causalitatis efficientis: sed cave ne confundas operationem in sensu actus secundi cum operatione in sensu exercitii causalitatis efficientis; actus secundus et alia producit (nam unumquodque agit inquantum est actu) et ab alio producitur (nam est ens contingens et finitum).

Obiectum est vel effectus productus ab operatione, vel causa efficiens quae operationem producit. Vide I, 77, 3; de An., a. 13; In de An., 2 lect 6 §305; de Ver., q. 16, a. 1, ad 13m. Forte idem implicite dicitur sed certo non explicite, De Ver q. 15, a. 2.

Similiter operatio est vel causa efficiens producens obiectum vel effectus ab obiecto productus. Vide C. Gent., II, 76: "si quidem operatio illa consistat in actione, adest ei principium activum, sicut patet de potentiis animae nutritivae in plantis; si vero operatio illa consistat in passione, adest ei principium passivum, sicut patet de potentiis sensitivis in animalibus."

Attingentia est ambivalens haec habitudo quae vel causae efficientis ad effectum vel effectus ad causam efficientem esse potest. Quare operatio dicitur attingere obiectum; et obiectum dicitur attingi ab operatione. "Sentire" productum a sensibili attingit sensibile. "Intelligere" productum a phantasmate illuminato attingit phantasma illuminatum. "Intelligere" producens verum verbum attingit verbum.

Obiectum dividitur in materiale et formale.

Obiectum materiale est obiectum in se spectatum.

Obiectum formale est obiectum quatenus est obiectum operationis.

Obiectum est obiectum operationis quatenus operationi assimilatur.

Eatenus enim operatio obiectum attingit, quatenus viget ratio causalitatis efficientis inter obiectum et operationem; eatenus viget haec ratio, quatenus datur assimilatio, nam omne agens agit sibi simile. Nihil plane refert utrum efficiens sit operatio an obiectum; in utroque casu, inquantum habetur attingentia, intentum habetur assimilatio inter operationem qua operationem et obiectum qua obiectum; et vice versa.

Obiectum formale dividitur in "quod" et "quo".

Obiectum formale quod est id quod operatione attingitur.

Obiectum formale quo est quo (vel, cur) operatio attingit id quod attingit.

Proprie haec divisio applicatur operationibus reflexis quae obiectum complexum attingunt, scil. "A propter B."

Similitudinarie applicatur operationibus non rationalibus; existit sane ~~max~~ cur hae operationes attingant id quod attingunt; sed ipsae operationes qua operationes non attingunt to propter. Quare dici potest:

Obiectum formale quod est obiectum operationis rationalis qua operationis.

Obiectum formale quo est obiectum operationis rationalis qua rationalis.

Una et eadem operatio attingit to "A propter B"; sed qua rationalis et reflexa attingit to "propter B"; qua operatio attingit to A. Ita credere qua rationale attingit auctoritatem attestantis, qua operatio attingit verum attestatum.

Non unus est omnium auctorum usus: ubi communius dicuntur obiectum formale quod et quo, alii dicunt obiectum formale et motivum formale, et alii dicunt obiectum materiale principale et obiectum formale.

Distinguitur operatio quoad substantiam et quoad modum.

Quoad substantiam idem dicit ac quoad essentiam, essentialiter; cum esse essentiam sequatur, prorsus aequivalent operatio quoad substantiam, quoad essentiam, operatio essentialiter, operatio entitative.

Improprius interdum dicitur "operatio quoad substantiam" quando intenditur non substantia vel essentia specifica sed generica tantum.

Quoad modum, stricte, est operatio secundum varias modalitates quae variari possunt eadem manente essentia; cuiusmodi sunt facilitas, promptitudo, delectabilitas, intensitas, duratio, etc.

Quoad modum, late, extenditur ad includendum quodlibet accidens vel extrinsecum; ita qui caecus fuit et dein miraculose sanatus, dicitur habere visum quoad modum supernaturalem.

^{p. 21} De essentia seu substantia operationis cognoscenda.

In quantum haec essentia est nobis per se cognoscibilis, habet derivatur cognitio vel ex adjunctis, vel ex fine extrinseco, vel ex motivo extrinseco, vel ex obiecto formali. Alius enim fons ignoratur.

Proinde essentia non cognoscitur ex adjunctis quae variari possunt eadem specifice manente operatione; neque ex fine extrinseco, nam finis est extrinsecus in quantum variari potest eadem specifice manente operatione, puta, ambulare ut vires reficiam, ut dormiam, ut laborem, ut amico colloquar; neque ex motivo extrinseco quod aliud non est quam finis extrinsecus prout apprehenditur; neque ex fine intrinseco, cum alia sit ipsa operationis essentia, et aliud cuius gratia essentia ex intrinseca necessitate existat.

Relinquitur ergo ut ex obiecto formali cognitio essentiae operationis derivetur. Quod directe etiam manifestatur, cum necessario detur assimilatio inter operationem qua operationem et obiectum qua obiectum, inter operationem quatenus obiectum attingit et obiectum quatenus operatione attingitur, uti supra demonstravimus.

Porro, quantum operationes intrinsece rationales attinet, earum essentia cum ex obiecto formali quod tum ex obiecto formali quo cognoscitur. Una et eadem res est et operatio et eius intrinseca rationalitas: unum est obiectum complexum quod operatione rationali attingitur, scil. non tantum obiectum formale quod neque tantum obiectum formale quo sed utrumque prout illud est propter hoc.

Praeterea, cum obiectum formale quo se habet ad formale quod sicut principium ad principiatum, non potest esse minor perfectio ratione principii quam ratione principiativ; at non convertitur; potest esse minor perfectio ratione principiati quam ratione principii.

H

Opiniones:

Inde a tempore concilii Tridentini communiter a theologis affirmatur omnia opera salutaria esse entitative et simpliciter supernaturalia. Opera salutaria intelliguntur ea quae ducunt quocumque modo in vitam aeternam, sive sint meritoria uti post iustificationem, sive sint non meritoria uti ante iustificationem.

Quia entitas operis sequitur essentiam, planum est eos admittere eadem opera esse simpliciter supernaturalia quoad substantiam seu essentiam.

Haec doctrina probari solet ex absoluta necessitate gratiae ad opera salutaria perficienda: nisi enim eiusmodi opera sint simpliciter supernaturalia, absoluta necessitas gratiae non intelligatur.

Quamvis vero theologi convenienter in assenenda supernaturalitate essentiali harum operum, discrepant de cognoscibilitate eiusdem essentiae.

Alii affirmant eam esse qualitatem quae sola revelatione cognoscatur, ideoque haec opera qua supernaturalia non specificari ab obiecto formalis. Ita plus minus Scotus, Molina, Ripalda, de Lugo, Franzelin, Billot, Janssens, Beraza, Schiffini, Lange, Lennerz, etc.

Alii autem affirmant supernaturalitatem horum operum esse sicut aliam qualitatem cognoscibilem, ideoque haec opera qua supernaturalia specificabi ab obiecto formalis. Ita Suarez, Salmanticenses, Ioannes A S. Thoma, Wirceburgenses, Mazzella, Garrigou-Lagrange, Mattiusi, Petazzi, Boyer, etc.

Ex his dictis elucet quaestionem ponendi solere in via resolutionis; nobis autem via compositionis procedentibus, aliud modus ponendi quaestionem convenit. Quare non quaerimus de actibus meritoriorum, neque de actibus salutaribus, sed de actibus virtutum. Praeterea, magis insistimus in ipsa horum actuum analysi, quam in principiis generalibus quae, omissa actuum analysi, plus confusionis quam lucis afferre solent.

Qualificatio:

Quod actus virtutum theologicarum et aliarum sunt simpliciter supernaturales quoad substantiam, sententia communis sit theologorum inde a Tridentino.

Quod hi actus qua supernaturales sunt cognoscibiles ratione obiecti formalis, sententia probabilius.

Probatur per partes:

1. Quoad actum fidei divinae.

Actus fidei divinae est simpliciter supernaturalis quoad substantiam, si eius "objecum formale quod" est simpliciter supernaturale.

Atqui "objecum formale quod" fidei divinae est simpliciter supernaturale.

Ergo actus fidei divinae est simpliciter supernaturalis quoad substantiam.

maior: est evidens ex terminis, nam essentia seu substantia actus per se cognoscitur ex obiecto formalis quod.

minor: Illud verum est simpliciter supernaturalis quod excedit proportionem cuiuslibet intellectus finiti.

Atqui "objecum formale quod" fidei divinae est verum eiusmodi.

Ergo "objecum formale quod" fidei divinae est simpliciter supernaturalis.

maior haec: est evidens ex terminis, nam est definitio.

minor haec: probatur ex Vaticano, DB 1795, 1796, 1816.

Asseritur obiectum distinctum fidei correspondens; quod obiectum est verum aliquod, nempe, mysteria divina in Deo abscondita (1795) ultra proportionem humani intellectus (1816), imo suapte natura excedens intellectum creatum (1796).

Hoc obiectum est "objecum formale quod": primo, quia est id quod credendo attingitur, nempe, veritas revelata; deinde, quia non est obiectum materiale quod est Deus absconditus qua absconditus, neque est "objecum formale quo" seu motivum formale, nam hoc est auctoritas Dei revealantis (DB 1789).

Hoc "objecum formale quod" est supernaturalis relate ad hominem (DB 1816); imo est simpliciter supernaturalis, nam excedit intellectum creatum, non per accidens in quantum intellectus finitus proportionatus de facto non est ex creatus, sed per se scil. "suapte natura" excedit intellectum creatum.

Obiectum

Argumentum procedit aequivocoando: obiectum fidei superat intellectum creatum in quantum intrinsecum eius evidentia ab intellectu create perspicere non potest; sed obiectum fidei non attingitur perspiciendo intrinsecam evidentiam sed obtemperando auctoritati Dei revealantis.

R. Argumentum non procedit aequivocoando.

Fides est supernaturalis si "objecum formale quod" est supernaturalis

2. Quoad actum spei theologicae.

Actus spei theologicae est simpliciter supernaturalis, si eius obiectum formale quod est simpliciter supernaturale.
Atqui est. Ergo.

maior: evidens ex terminis.

minor: Obiectum formale quod sped theologicae est illud bonum possibile futurum arduum quod est principaliter ipsa visio beatifica attingenda, secundario actus necessarii ad visionem attingendam

Atqui eiusmodi bonum arduum futurum est simpliciter supernaturale.
Ergo obiectum formale quod spei theologicae est simpliciter supernaturale.

haec minor: obiectum principale, nempe visio attingenda, ratione sui est simpliciter supernaturalis; quae necessaria sunt ad visionem attingendam saltem entrinsece seu ratione finis sunt simpliciter supernaturalia; et quedam inter ea, uti fides et caritas, etiam intrinsece sunt supernaturalia simpliciter, uti iam demonstratum est.

3. Quoad actus virtutum cardinalium.

Probatur per partes: a quod adest speciale obiectum formale quod in his actibus prout fiunt debite a Christiano; b quod hoc obiectum est supernaturale et quidem simpliciter.

a Ex diversitate "obiecti formalis quo" sequitur diversitas in "obiecto formalis quod."

Atqui in actibus virtutum cardinalium, prout debite a Christiano fiunt, aliud est "obiectum formale quo" quam in actibus earumdem virtutum prout debite a homine fiunt.

Ergo etiam in "obiecto formalis quod" adest diversitas.

maior: vide notiones praevias.

minor: Aliud est "obiectum formale quo" si aliud est finis cui attingendo commensuratur actus virtuosus et alia est cognitio qua haec commensuratio aestimatur. Atqui naturaliter homo agit virtuose in quantum agit in ordine ad finem naturalem et naturali rationis lumine commensurationem operis ad finem aestimat; christianus vero non agit virtuose nisi in ordine ad finem supernaturalem prout hic ordo non naturali lumine sed lumine fidei aestimat

3. Actus aliarum virtutum prout et in parte rationali eliciuntur et sicut oportet a christiano fiunt, sunt simpliciter supernaturales quoad substantiam.

Hi actus sunt simpliciter supernaturales quoad substantiam si eorum obiectum formale quo est simpliciter supernaturale.

Atqui eorum obiectum formale quo est simpliciter supernaturale.

Ergo hi actus sunt simpliciter supernaturales quoad substantiam.

maior: evidens ex terminis.

minor: Horum actuum obiectum formale quo est principium determinans obiectum formale quod et ipsos actus qua rationales motivans.

Atqui eiusmodi principium est simpliciter supernaturale.

Ergo horum actuum obiectum formale quo est simpliciter supernaturale.

haec minor: Nam hoc principium, ex parte intellectus, est lumen fidei et ex parte voluntatis est impulsus spei vel/et caritatis.

Atqui fides spes et caritas sunt simpliciter supernaturales.

Ergo principium hoc est simpliciter supernaturale.

Notanda:

Arguitur hic exclusive ex obiecto formalis quo et circa actus intrinsece rationales, puta, de fortitudine prout a voluntate imperatur et non prout in irascibili existit.

Arguitur exclusive ex obiecto formalis quo, quia hoc obiectum respicit actum qua rationalem; actus autem virtutis est virtutis, in quantum est non quatenus est tale opus, puta, abstinentia cibi vel tolerantia supplicii, sed quatenus est conformis regulae virtutis; praeterea, haec conformitas ad regulam virtutis pertinet ad intrinsecam rationem actus intrinsece rationalis et reflexi; nam actus reflexus non solum attingit obiectum formale quod sed etiam obiectum formale quo.

Non arguitur de actibus virtutum prout in parte non-rationali fiunt. Cum enim hi actus non sunt intrinsece rationales, dubium videtur asserere eos essentialiter assimilari et modo proportionato assimilari obiecto formalis quo ita ut necessario sint simpliciter supernaturales quoad substantiam.

Denique, ex eo quod obiectum formale quo est simpliciter supernaturale, non necessario sequitur obiectum formale quod esse simpliciter supernaturale. Propositio conversa utique tenet, quia principiatum non excedit suum principium. Sed non necessario principiatum adaequat suum principium. Et quantum ad actus virtutum qua actus attinet, planum videtur opera omnia iusta a christiano facta sicut oportet non differri quoad obiectum formale quod ab operibus humanae iustitiae; secus quemadmodum lex civilis posset determinare legem iustitiae non solum pro infidelibus sed etiam pro fidelibus.

Obicitur.

l. [Quoad actum fidei].

Id quod est simpliciter natural supernaturale non est quivis
quaevia assensus mysteriis sed assensus ex perspecta intrinseca
evidentia.

At qui fides non perspicit intrinsecam evidentiam.

Ergo non est simpliciter supernaturalis.

R. Assensus ex perspecta evidentia intrinseca est simpliciter
supernaturalis, etiam, C; tantum, N. Et explico.

Exsistit aliquod verum intellectui nostro proportionatum. Hoc verum nobis proportionatum non mensuratur ex potentia Dei revelantis, ita ut quidquid Deus revelare potest sit verum nobis proportionatum. Verum nobis proportionatum mensuratur ~~ex~~ non ex Deo revelante sed ex nostro intellectu; et quidem mensuratur ex capacitatem nostri intellectus ad perspicientiam intrinsecam evidentiam, nam intrinseca evidentia per se est mensura veri et eius motivum formale. Per accidens enim voluntas imperat assensum.

Unde clare et distincte dividuntur visio naturalis et supernaturalis, fides naturalis et supernaturalis.

~~Id videmus vel scimus naturaliter cuius intrinseca evidentia naturaliter a nobis perspicit potest.~~

Id videmus vel scimus vel credimus naturaliter cuius intrinseca evidentia naturaliter a nobis perspicit potest; sed vidimus vel scimus si perspicimus; et credimus si non perspicientes auctoritati perspicientis obtemperamus.

Id videmus vel scimus vel credimus supernaturaliter cuius intrinseca evidentia naturaliter a nobis perspicit non potest; sed vidimus vel scimus si perspicimus, uti in visione beatifica; et credimus si non perspicientes auctoritati perspicientis obtemperamus, et ita in fide divina.

2. Si obiectum formale quod est simpliciter supernaturale,
etiam obiectum formale quo est simpliciter supernaturale.

Atqui obiectum formale quo in actu fidei non est simpliciter supernaturale.

Ergo obiectum formale quod non est simpliciter supernaturale.

maior: nam principium saltem est aequale principiatorum.

minor: nam formale quo fidei est auctoritas Dei revelantis, quae naturaliter cognoscitur, uti in motivis credibilitatis quae fidem antecedant.

Resp. Conceditur maior et negatur minor. Ad probationem minoris distinguitur inter auctoritatem Dei revelantis prout est veritas naturaliter et per se nota in motivis credibilitatis et prout motivum supernaturale sufficiens in ipso actu fidei. De qua re, plura in analysi fidei.

3. Admittendum est in virtutibus xtianis et cardinalibus non solum obiectum formale quo sed etiam obiectum formale quod simpliciter supernaturale.

Nam principiatum sequitur principium; sed principium admittitur esse simpliciter supernaturale.

Praeterea, inutile videtur formale quo simpliciter supernaturale nisi eo fit actus simpliciter supernaturalis quoad obiectum formale quod.

Resp. Alia est quaestio de ipsis virtutibus quae respiciunt totam quamdem actuum seriem; et alia est quaestio de actibus qui singuli prout in se sunt considerari debent.

Concedimus multos actus virtutum xtianarum differri quoad obiectum formale quod ab actibus correspondentibus virtutis humanae. Patet hoc de virtute religionis (II-II, qq. 81 ss) quae est iustitiae annexa et alia humana, alia prorsus positiva et supernaturalis. Quamvis tamen concedatur obiectum speciale esse obiectum formale quod in actibus virtutum xtianarum multis, non statim sequitur hoc speciale obiectum esse simpliciter supernaturale; neque via obvia ad hoc probandum praesto est.

Alia tamen ex parte qui velit adstruere speciale obiectum formale quod in singulis actibus virtutis xtianae, contra factum arguere videtur.

Quantum ad rationes datas.

Principiatum sequitur principium si in ordine eodem existit, C, si in ordine inferiori, N. Opera sensitiva in homine principiantur ab imperior rationis et tamen manent motus coniuncti, entitative materiales.

Neque inutile est obiectum formale quo simpliciter supernaturale, nisi etiam formale quod est supernaturale. Nam formale quo respicit actum qua virtuosum, formale quod respicit actum qua actum; si actus qua virtuosus est simpliditer supernaturalis, hoc non est inutile, etiamsi actus qua actus potest fieri ab infideli, puta, abstinentiam cibi a Gandhi protractam.

Scholion. De gradibus intra ipsos actus supernaturales.

Alii actus sunt simpliciter supernaturales quia eis attingitur ipse Deus uti in se est et quidem Deus totus. Et eiusmodi sunt visio beatifica, amor sequens visionem, amor eiusdem speciei (charitas numquam excedit) visionem antecedens.

Alii actus sunt simpliciter supernaturales quia eis attingitur ipse Deus uti in se est ~~etiam~~ non simpliciter et totus sed tantum secundum quid.

Et eiusmodi est fides, quae attingit quidem mysteria in Deo abscondita, non tamen omnia quae in Deo absconduntur; unde post fidem remanent alia de Deo in visione cognoscenda; quare etiam ratione obiecti formalis quod, fides est imperfecta.

Eiusmodi etiam est spes, quae tendit quidem in attingendum ipsum Deum uti in se est, non tamen actu attingit; quando autem ad ipsum Deum attingitur, spes evacuatur.

Fides, spes, caritas, et ipsa visio sunt simpliciter supernaturales ratione et obiecti formalis quod et obiecti formalis quo. Sed actus aliarum virtutum, quae respiciunt non ipsam divinam vitam in nobis sed magis transformationem nostrae vitae ex praesentia vitae divinae, sunt simpliciter supernaturales qua actus virtuosi ratione obiecti formalis quo, non autem saltem omnes et singuli qua actus et ratione obiecti formalis quod.

Haec gradus diversitas intra ipsos actus supernaturales forsitan respiciat alias diversitates actuum supernaturalium.

Sola caritas non exercetur nisi adest virtus per se infusa. Actus enim fidei et spei et caeterarum virtutum exerceri possunt ante iustificationem quando virtutes infunduntur.

Sola caritas per se est maxima meritoria: caeterae virtutes vel earum actus possunt esse vel formati vel informes; formantur gratia sanctificante et caritate; sed gratia sanctificante abeunte informes fiunt et meritorii esse desinunt.

Quare operae pretium esse videtur distinguere inter actus simpliciter supernaturales formaliter et actus simpliciter supernaturales virtualiter; illis attingitur ipse Deus uti in se est; his non attingitur ipse Deus uti in se est nisi secundum quid uti in fide et spe. Quia est supernaturalis formaliter caritas est semper meritoria et necessario supponit habitum vel virtutem infusam. Quia non sunt supernaturalia formaliter, alia non semper sunt meritoria neque necessario supponunt virtutem infusam.

Scholion II. De supernaturalitate mere entitativa.

Quaeritur quid sentiendum de opinione a multis defensa, actus simpliciter supernaturales esse tales propter qualitatem sola revelatione cognitam, cui qualitati non respondet obiectum formale supernaturale.

Primo, respondetur quod ipsa analysis iam facta sufficienter demonstrat actus virtutum supernaturales de facto habere obiectum formale supernaturale. Nam ex existentia huiusmodi obiecti probavimus actus esse supernaturales.

adesse/ Secundo, difficile admittitur qualitas per se nobis incognoscibilis nisi ex revelatione divina/in actibus secundis elicitis in potentibus intellectivis: quod adest in actu secundo in intellectu est quoddam cognoscere; quod adest in actu secundo in voluntate est quoddam velle; sed cognoscere et velle natura sua sunt cognoscibilia et cognita cognoscenti et volenti.

Tertio, eiusmodi assertio qualitatis incognoscibilis nisi ex revelatione vergit in detrimentum fidei. Adstruit enim Xtum esse mortuum ut eiusmodi qualitas actibus insit. Adstruit Deum non dare vitam aeternam nisi propter actus non qua bonos sed qua qualitate incognoscibili ornatos.

Quarto, inutile videtur recurrere ad mysterium ad haec placita defendenda: potius enim est mysterium a theologis quibusdam opinantibus propositum quam a Deo revelatum.

THESES IV.

Potentia ad supernaturalia simpliciter est obedientialis.

Scopus:

Determinatis utrum sit communicatio creata divinae naturae, qualis sit et ad quales actus ducat, quaeritur quae nam sit potentia substantiae finitae ad hanc communicationem recipiendam et ad hos actus eliciendos.

Notiones praeviae:

I. Potentia est ordo ad actum.

Potentia activa est ordo ad actum producendum.

Potentia passiva est ordo ad actum recipiendum.

Cum actus qui recipi potest est vel primus vel secundus, potentia passiva dividitur in accidentalem et essentialalem.

Circa actum primum et secundum, vide thesin 3am.

Potentia passiva accidentalis est ordo actus primi ad actum secundum recipiendum. Exempla: formae substantialis ad esse; formae accidentalis ad operationem; habitus ad usum habitus; cuiuscumque principii tou per se ad actum secundum secundum qui per se (intelligibiliter et uniformiter ratione ipsius subiecti) subiecto inest.

Potentia passiva essentialis est ordo ad actum primum recipiendum. Exempla: materiae primae ad formam substantialiem; organorum sensitivorum ad potentias sensitivas; intellectus possibilis ad habitus scientiae; voluntas ad habitus virtutum.

Potentia passiva dicitur accidentalis quia per accidens est si actus secundus ei non inest: ita qui habet potentiam visivam, per se videt in actu secundo, per accidens non videt in actu secundo nam potest-quandemque-vult sub debitibus conditionibus potest videre quandocumque vult.

Potentia passiva dicitur essentialis quia ei deest forma vel habitus vel aliud principium simile quo per se actus secundus ei inest.

Potentia activa sua natura est prior quam potentia passiva. Nisi enim existit potentia ad actum producendum, non vere existit potentia ad actum recipiendum. Iterum et aliter: actus est prior potentia; sed potentia passiva negat actum; potentia activa non dividitur contra actum sed est actus; nam unumquodque agit quatenus est actu.

Potentia passiva accidentalis est eiusdem proportionis formaliter ac actus secundus. Nam est actus primus, i.e. vel forma vel aliquid ad modum formae.

Potentia passiva essentialis dividitur in proximam et remotam.

Potentia passiva essentialis et proxima est eiusdem proportionis virtualiter ac actus primus ad quem est. Puta, corpus rite dispositum ad receptionem animae spiritualis, non est eiusdem proportionis formaliter ac ipsa anima, nam nihil spirituale in se habet, sed est eiusdem proportionis virtualiter, scil. secundum considerationem alicuius causae, cum finis operis corporis dispositi est anima recipienda.

Potentia passiva essentialis et remota non est eiusdem proportionis (neque formaliter neque virtualiter) ac actus ad quem est. Puta, materiam primam relate ad receptionem animae spiritualis: materia prima non est forma, et multo minus forma spiritualis; neque finis operis materiae primae est anima spiritualis, secus tota materia prima exigeret talem informationem.

Potentia ~~essentia~~ passiva essentialis et remota dividitur in naturalem et obedientialem.

Est naturalis quatenus per ~~anum~~ causam efficientem finitam, quae agit scdm propriam proportionem, actuari potest.

Est obedientialis quatenus per solum Deum actuari potest.

Notate, primo, neque potentiam obedientialem neque potentiam passivam essentialiem remotam et naturalem exigere actum ad quem dicitur est (vide definitiones), secundo, differentiam inter potentiam obedientialem et naturalem non esse ipsi passivae potentiae intrinsecam sed extrinsecam, nam fundatur in differentia inter agens proportionatum infinitum et finitum (vide definitiones), tertio, quamvis haec differentia sit extrinseca, tamen haec divisio non est per accidens sed per se, quia potentia passiva ratione sui supponit potentiam extrinsecam et activam (nam actus est prior potentia, et potentia activa dicit actum; praeterea, nulla est potentia ad recipiendum nisi per prius est potentia ad producendum).

2. Potentia activa dicitur et proprie et improprie.

Potentia activa improprie dicta est eadem ac potentia passiva accidentalis: ita qui habet habitum scientiae vel virtutis per se potest agere scdm illum habitum; quod tamen agere proprie est pati, scil. recipere aliquod intelligere vel velle in actu secundo.

Potentia activa proprie dicta est ordo ad actum producendum, scil. ad exercitium causalitatis efficientis.

Haec potentia est actus secundus, non quidem in se spectatus seu prout actus secundus est, sed scdm proprietatem suam consideratus, scil. scdm capacitatem actus secundi ad producendum sibi simile.

Exemplum: qui habet habitum scientiae sed actu non intelligit, est in potentia passiva accidentalii ad intelligere recipiendum in intellectu possibili, sed in potentia activa inquantum etiam habet intellectum agentem; qui vero actu intelligit, ratione huius intelligere, est in potentia activa ad producendum verbum interius.

p. 2 Unus et idem est actus qui et a potentia activa producitur et in potentia passiva recipitur. Unus et idem est actus ad quem ordinatur potentia activa ad producendum et ad quem ordinatur potentia passiva ad recipiendum. Hic unus et idem actus, inquantum est a potentia activa, est actio (actus huius ut ab hoc), et inquantum est in potentia passiva, est passio (actus huius ut in hoc). Quare actio est ab agente et in passo.

3. Causa efficiens est id quod aliud producit, seu est subiectum potentiae activae qua actuatae; quae actuatio est actio; quae actio realiter est eadem ac passio et in passo.

Causa efficiens proportionatur suo effectui: omne enim agens agit sibi simile.

Haec proportio mensuratur secundum perfectionem formae: quare causae efficienti inest potentia activa ratione actus secundi, sed ei inest proportio ad effectum ratione formae (actus primi) quae actu secundo perficitur. Cuius fundamentum est quod actus secundus non de se limitatur ad aliquam proportionem finitam, sed ita limitatur generice a potentia cui inest et specificie a forma quam perficit.

Causa efficiens dividitur in principalem et instrumentalem.

Causa efficiens est principalis in quantum perfectio suae formae vel aequat vel superat perfectionem effectus.

Causa efficiens est instrumentalis in quantum perfectio suae formae superatur a perfectione effectus.

Unde concludes: nulla causa est instrumentalis simpliciter; ita enim nihil posset in effectum qui omnibus aspectibus superat suam perfectionem; sed si nihil ~~xxx~~ posset in effectum, non esset causa efficiens.

Etiam concludes: solus Deus est causa principalis simpliciter; nam omnis effectus habet esse; sed solus Deus habet esse secundum perfectionem suae formae; omnes ergo effectus, in quantum habent esse, superat proportionem propriam cuiuslibet causae finitae.

Tertio concludes: cum totus effectus prodedit ab instrumento, uti agente proximo, aliquo modo instrumento inest aliqualis proportio ad effectum; quae proportio, cum non sit perfectio formae, neque essentialis ratio actus secundi, nam haec ex forma habetur, necessario ponitur in modalitate actus secundi. Haec modalitas nominatur "virtus instrumentalis" scil. illa virtus seu potentia productiva quae convenit instrumento quatali. Haec modalitas illustratur, v.g. in motu bovis qui ita conductitur ut debito modo aratum trahit, vel in motu machinae dactylographicae, q cuius claves tali serie feriuntur ut debito ordine characteres imprimantur et quoddam intelligibile exscribatur.

Qualificatio:

Quod de facto potentia nostra ad supernaturalia simpliciter est obedientialis, sententia theologorum communis et certa.

creaturae/ Quod de iure potentia nostra ad supernaturalia simpliciter est obedientialis, sententia probabilior. Ripalda enim et alii quidam admittunt possibilitatem substantiae finitae quae natura sua proportionatur ad supernaturalia simpliciter

Probatio:

Est corollarium thesis 3ae.

Si nulla substantia finita est agens proportionatum ad producendos actus simpliciter supernaturales, potentia ad eiusmodi actus recipiendos est obedientialis.

Atqui nulla substantia finita est agens proportionatum ad producendos actus supernaturales simpliciter.

Ergo potentia ad eiusmodi actus recipiendos est obedientialis.

disponendum vel
maior: nam potentia est obedientialis si solum agens proportionatum ad eam actuandam est Deus.

minor: vide thesin antecedentem.

Scholion: De naturali desiderio videndi Deum per essentiam.

1. In operibus prioribus S. Thomas vel silet vel excludit desiderium naturale dicitur videndi Deum per essentiam. Silent: 2 d 33 q 2 a 2; 4 d 49 q 2 a 1; Quodl 10 a 7; de Ver q 8 a 1. Excludit: de Ver q 14 a 2 (cf II-II q 4 a 1); de Ver q 27 a 2.
In operibus posterioribus saepius et explicite affirmatur tale desiderium: C Gent III 25 - 63 (spec. 25, 48, 50, 57, 63); I, 12, 1; I, 12, 8, 4m; I, 62, 1; I-II, 22, 3, 8; Comp theol 104.
Praeformari videtur posterior doctrina in quibusdam textibus prioribus: Boet de Trin q 6, a 4, ad 5m; de Ver q 10 a 11 ad 7m.
Nullum prorsus dubium existit S. Thomam habuisse visionem beatificam tamquam simpliciter supernaturalem.
2. Desiderium naturale videndi Deum per essentiam a theologis communiter vel negatur vel in serium dubium vocatur, propter difficultatem reconciliandi tale desiderium naturale cum supernaturalitate absoluta desideratae visionis.

~~3. Expliciter intelligi potest "desiderium naturale videndi Deum per essentiam."~~

~~Primo modo, est actus desiderandi elicitus naturaliter seu scdm vires naturae et intra proportionem naturae.~~
~~Secundo modo, non est actus elicitus sed tantummodo appetitus naturalis, scil. potentia quaelibet scdm suum ordinem ad actum proprium; quare naturale desiderium videndi Deum per essentiam dicit ordinatem humanae naturae ad hanc visionem, et ita quidem ut natura visionem vel consequi possit vel exigat.~~
~~Tertio modo, non est actus elicitus neque est appetitus naturalis visionem exigens vel visioni proportionata-natur naturaliter proportionatus~~

~~4. Ad terminos:~~

~~Desiderium: appetitus vel actus appetendi obiectum absens~~

~~3. Ad terminos:~~

~~Desiderium: appetitus vel actus appetendi obiecti absentis seu non possessi.~~

~~Naturale: multipliciter dicitur
a est aliquid intra naturae proportionem, aliquid quod constitutive vel consecutive vel exigitive ad naturam pertinet.
b opponitur non supernaturali sed elicito; scil. non est actus in potentia appetitiva elicitus, sed est ipse potentiae ordo ad actum seu ipsius potentiae tendentia naturalis.~~
~~Videre Deum per essentiam: actus intelligendi Deum uti in se est; cognitio Dei quidditativa, sic scil. scdm Quod quid est vel essentiam Dei. Opponitur cognitioni analogiae per vias affirmationis, negationis, eminentiae.~~

4. Propter ambiguitatem vocis "naturale", triplex sensus tribui potest dicto "desiderio naturali."

Primo modo, sumi potest "naturale" non tamquam excludens actum elicitorum sed tamquam excludens supernaturalitatem actus eliciti. Ita sensus est, homo naturaliter elicitorum actus desiderandi visionem beatificam. Qui sensus omnino est reiciendus. Vide damnationem Synodi Pistoriensis, DB 1518.

Altero modo, sumi potest "naturale" tamquam excludens actum elicitorum sed saltem implicite connotans exigentiam visionis beatificae. Ita sensus est, homo, ~~max~~ quamvis sine gratia non possit elicere actus desiderandi visionem beatificam (eiusmodi enim actus est vel spei vel caritatis), tamen naturaliter ordinatur in visionem tamquam in ~~max~~ finem et huius visionis consecutionem per se exigit. Pariter hic sensus est reiciendus prorsus. Negat enim supernaturalitatem visionis beatificae.

Tertio modo, sumi potest "naturale" non solum ut excludens actum elicitorum sed etiam tamquam nullo modo implicans visionem beatificam esse naturalem vel naturae debitam vel ~~a~~ scdm exigentias naturae dandam. Et hic sensus probari potest, quamvis hodie non apte exprimatur per nomen "desiderium naturale."

Solus hic tertius sensus S. Thomae attribui potest; qualis vero sit, ulterius inquiremus.

5. Desiderium naturale videndi Deum per essentiam est naturale duplice.

Primo modo, inquantum "naturale" opponitur "elicito"; hoc primo modo tacetur utrum desiderium sit intra vel supra naturam proportionem; agitur enim de voce aequivoca. Si dicem gratiam esse formam non artificialis sed naturalem, non nego supernaturalitatem gratiae sed nego artificialitatem gratiae; quatenus enim naturale opponitur artificiali, nihil dicitur de gradu perfectionis ontologicae. Et similiter quatenus naturale opponitur elicito, nihil dicitur de p gradu perfectionis ontologicae.

Altero modo, inquantum non habetur intrinseca sed sola extrinseca differentia inter potentiam naturalem et obedientiale. Potentia enim obedientialis nihil reale ponit in ipsa naturali potentia. Tota enim differentia inter potentiam naturalem et obedientiale habetur ex consideratione causae agentis.

Quia ergo differentia inter potentiam naturalem et potentiam obedientiale est extrinseca, potest quis inquirere quid in natura hominis existat quod, supposito supernaturali Dei auxilio, perveniat ad visionem beatificam. Respondetur sane "intelletus humanus." Concluditur utique intellectus humanus habere potentiam obedientiale ad visionem beatificam. Sed potentia obedientialis differt non intrinseca sed extrinseca a potentia naturali. Ulterius ergo quaeritur, quid sit potentia naturalis quae, supposito Dei auxilio supernaturali, obedientialis evadat. Eiusmodi quaestio est quaestio de desiderio naturali videndi Deum per essentiam. Nullo modo negat vel implicat negationem circa supernaturalitatem visionis.

6. De naturali desiderio intellectus humani.

"Omnes homines naturaliter scire desiderant." Arist., Metaphys., init. Naturale hoc sciendi desiderium est duplex; duo enim intellectus quaerit, nempe, "an ~~est~~ est" et "quid est," ad quae reducuntur omnia alia quaeribilia et scibilia.

Quae quaestiones tripliciter considerari possunt: primo modo, prout sunt verba exteriora vel sonantia vel scripta; alio modo, prout sunt verba interiora in ipso intellectu concepta; tertio modo, prout manifestant radicalem ipsius intellectus tendentiam in scientiam acquirendam. Hoc tertio modo, eoque solo, habetur naturale desiderium intellectus, quod desiderium definiri potest "tendentia intellectus in quaerendum et sciendum per quaestiones "an est" et "quid est" manifestata." Ut paret, antecedit haec tendentia omnem explicitam quaestionem sive interius sive exterius expressam.

7. De naturali desiderio cognoscendi Deum.

Sicut de caeteris rebus, ita etiam intellectus de Deo quaerit et an est et quid est. Intra proportionem intellectus humani est demonstrare Dei existentiam (DB 1806). Intra proportionem eiusdem intellectus est analogicam Dei cognitionem acquirere, uti constat ex theologia naturali ubi ~~est~~ attributa Dei determinantur et quantum fieri potest inter se reconciliantur.

Porro, existit tendentia intellectus humani in quidditatem Dei cognoscendam, in ipsum Deum intelligendum. Secus nullus esset nisus determinandi attributa Dei, nullus esset nisus reconciliandi attributa apparenter opposita. Haec facimus quia desideramus Deum intelligere. Haec facimus naturaliter quia naturaliter in quidditates cognoscendas tendimus.

Iam vero quidditativa Dei cognitio est ~~et~~ visio Dei beatifica: nam cognoscere quidditatem rei est cognoscere eius essentiam; et cognoscere Dei essentiam aliter non haberi potest quam per beatificam visionem. Cuius rei plenior declaratio et probatio in tractatu de ipsa visione habetur.

Iterum quidditativa Dei cognitio est simpliciter supernaturalis; excedit proportionem cuiuslibet substantiae finitae.

Iterum quandiu analogice tantum Deus per intellectum cognoscitur, tamdiu redeunt quaestiones intellectus nondum perfecte intelligentis: nam "cur" et "quomodo" continuo exsurgunt usque dum intelligentia est perfecta et intellectus quiescit; quae quies in sola visione haberi potest.

8. Quae cum ita sint, distinguendum est inter tendentiam intellectus humani prout est potentia naturalis et prout est potentia obedientialis.

Prout est potentia naturalis se habet ad actum cui producendo proportionatur agens finitum. Et sic finis hominis naturalis est operatio intellectualis circa Deum cognoscendum; quae operatio semper proficit et perficitur sed numquam ad perfectam cognitionem divinae essentiae pervenit; homo enim est in genere intelligibilium ut potentia.

Prout vero est potentia obedientialis, se habet ad actum cui producendo proportionatur agens infinitum. Et sic finis hominis supernaturalis est operatio intellectualis qua ipsa divina essentia seu quidditas

8. Finis proinde est ultima rei perfectio. In homine haec ultima perfectio principaliter consistit in operatione intellectiva circa Deum.

Finis dividitur in naturalem et supernaturalem, prout est operatio iacens intra proportionem naturae vel eamdem proportionem excedens. Finis naturalis hominis est imperfecta et analogica cognitio essentiae divinae. Finis vero supernaturalis est perfecta et intuitiva visio essentiae divinae.

Qui finem attingit, in fine adepto quiescit. At quo perfectior est finis, eo perfectior est quies. Quiescere enim in fine, stricte, nihil dicit nisi quod motus ad finem cessat et ipse finis possidetur. ~~Quae-possessio-in-ente-rationali-et immortali-etiam-secura-esse-debet~~ Cessatio motus excludit progressum ad alium finem specifice diversum, excludit inquietudinem qua aliis finis perfectior desideraretur, excludit insecuritatem circa finem possessum. At haec motus cessatio non debet confundi cum intrinseca immobilitate Dei: haec immobilitas fundatur in negatione potentiae passivae, in affirmatione actus puri; haec immobilitas intrinseca pertinet ad beatitudinem divinam, principaliter quidem ad beatitudinem divinam qua ipse Deus est beatus, secundario vero ad beatitudinem divinam qua supernaturaliter creaturae efficiuntur beatae. ~~Quare-quiescere-in-fine-nem pugnat-eum-perfectiori-semper-eognitio-Dei-analogia~~

Quare dicendum videtur quod homo quiescit cum in fine supernaturali tum in fine naturali; at perfectior est quies illa quam haec. In fine enim supernaturali habetur participatio quadam immobilitatis intrinsecæ divinae, non quia finis est sed quia supernaturalis est. In fine vero naturali eiusmodi participatio non habetur, neque eiusmodi immobilitas, sed tantum illa quies quae excludit motum in aliud tamquam in finem diversum et non possessum. Immo, finis naturalis in quadam mobilitate intrinseca necessaria consistere videtur: nam aut analogica cognitio Dei dat perfectam Dei intelligentiam, aut tollitur impulsus intellectus quaerentis "cur" et "quomodo" circa rem nondum perfecte intellectam; sed perfecta Dei intelligentia habetur per solam visionem supernaturalem; neque convenienter tollitur impulsus intellectus sive per ablationem ipsius intellectus sive per immissam vim soporificam sive per errorem misericorditer inductum; relinquitur ergo ut finis naturalis hominis consistit in continuo quodam progressu et evolutione analogiae cognitionis essentiae divinae.

Sicut finis est duplex, alias naturalis et alias supernaturalis, ita etiam potentia ad finem est duplex, alia naturalis et alia ~~superna~~ obedientialis. Sed finis naturalis et finis supernaturalis convenient in ratione obiecti cognoscendi, nempe, essentiae divinae, et differunt in modo cognoscendi huius obiecti, nempe, naturaliter et analogice vel supernaturaliter et univoce. Pariter, potentia naturalis et potentia obedientialis convenient in quantum intrinsece sunt una et eadem potentia humana, sed differunt ratione agentis proportionati ad actuationem, cum agens finitum proportionetur actuationi potentiae naturalis sed selum agens infinitum proportionetur actuationi potentiae obedientialis; et ex hac diversitate extrinseca oritur diversitas in fine ad quem datur potentia.

9. Remanet ut de exigentia quaedam dicantur.

Exigentia proprie respicit conditiones extrinsecas cum relate ad esse tum relate ad bene esse rei.

Exigentia ad esse immediate consequitur formam substantialem, mediate vero consequitur materiam ~~et~~ rite dispositam ad formae infusionem vel i educationem. nisi existat forma substantialis, nulla est immediata exigentia relate ad esse; nisi existat materia rite disposita, nulla est mediate exigentia relate ad esse.

Res bene est in quantum finem attingit, ideoque exigentia ad bene esse est exigentia quae immediate respicit ipsum finem vel mediate respicit media ad finem necessaria vel bona ex fine adepto convenienter profluentia.

Finis qui exigi potest iacet intra proportionem substantiae exigentis; neque omnis et singula substantia finita exigit actualem adeptionem finis; nam substantia finita est principium tou per se et admittit to per accidens; unde actualis adeptio finis exigi potest non semper sed tantum in maiori parte.

~~His dictis, perspicuum est hominem naturaliter exigere non finem supernaturalem, qui proportionem naturae humanae excedit, sed tantum finem naturalem intra proportionem eius naturae iacentem; et hunc finem naturalem exigit non semper sed ut in maiori parte.~~

Praeterea, ubi naturalis actualis adeptio finis pendet ex cooperatione liberi arbitrii, id quod/exigitur relate ad finem non est ipsa ~~et~~ adeptio sed media necessaria ut in maiori parte finis attingi possit.

Praeterea, ubi supervenit ~~et~~ elevatio ad ordinem supernaturalem, super leges ordinis naturalis praevalent ~~et~~ leges ordinis supernaturalis; inferior enim superiori cedit.

~~de /~~ 10. Quae/naturali desiderio videndi Deum per essentiam sunt dicta, in aliquibus discrepant a dictis S. Thomae.

S. Thomas enim de "natura pura" conceptum non elaboravit, ideoque ordinem et statum naturae purae mere possibilem non consideravit. De actuali rerum statu tractat et disputat. Unde duplum beatitudinem tantum distinguebat: beatitudinem imperfectam qualis hac in vita habebi potest; beatitudinem perfectam quae in visione Dei consistit. Quaestiones de infantibus sine baptisme mortuis per transennam tractantur, ducunt in considerationem status naturae purae, sed ~~hanc~~ quo ducunt non sequebatur Aquinas eo usque ut systematicam rei explorationem fecerit.

(Beatitudo perfecta et imperfecta; I-II q 4 aa 5-8; q 5 aa 3-6.
De infantibus: 2 d 33 q 2 a 2; de Malo q 5 a 3. De beatitudine debita Dei I q 26, angeli I q 62 a 4, hominis I-II q 5 a 7)

Quare, praetermissa beatitudine naturali post hanc vitam, S. Thomas arguit ex naturali desiderio ad possibilitatem et uti videtur actualitatem visionis beatificae; in natura enim nihil frustra I, q. 12, a. 1. Hoc argumentum, tamquam demonstrativum ex meritis naturalibus, admitti non potest; admitti potest tamquam argumentum convenientiae supposita divina revelatione. Ita habetur concordia cum illud "quod illud bonum perfectum, ad quod homo factus est, sit illa gloria quam sancti possident, est supra cognitionem naturalem." De Malo q 5 a 3.

10. Ponitur quaestio de cognoscibilitate visionis beatificae maxime ex eo quod S. Thomas arguit ex naturali desiderio cognoscendi causam usque ad possibilitatem et imo, uti videtur, ad actualitatem visionis; nihil enim, ait, in natura frustra; ita I, q. 12, a. 1, c. Ex his ~~concludendum est~~ visionem beatificam esse naturaliter cognoscibilem concludi posset.

Sed contra, idem S. Thomas circa parvulos sine baptismate mortuos ait "quod illud bonum perfectum, ad quod homo factus est, sit illa gloria quam sancti possident, est supra cognitionem naturalem;" imo eiusmodi cognitio est ex revelatione, pertinet ad fidem, non habetur a parvulis qui ideo de carentia visionis non dolent. De Malo q 5, a 3.

Quantum ipsam rem attinet, dicendum est visionem esse simpliciter supernaturalem, ideoque a natura non exigi neque ad integratatem naturalis perfectionis pertinere; praeterea, visionem esse mysterium, cuius intrinseca possibilitas naturaliter non potest cognosci, cuius actualitas sola revelatione cognosci potest. Alia ex parte, supposita revelatione et facto visionis, sequitur cognitio extrinsecæ possibilitatis: ab esse enim ad posse valet illatio. Proinde, cogita possibilitate visionis in genere, ad eius possibilitatem in homine exhibendam argumenta convenientiae inveniri possunt.

~~Quantum interpretationem S. Thomas attinet, illud in primis est notandum, nempe, S. Thomam non elaborasse conceptum "naturae purae" neque de meritis possibilibus sermonem fecisse; praeterea, eum uti theologum esse locutum et ideo, nisi positive de contrario constat, magis supposuisse veritates revelatas quam ab iisdem praescidisse.~~

Quantum interpretationem S. Thomas attinet, duo sunt notanda. In genere S. Thomas uti theologus est locutus et ideo nisi de contrario positive constat magis supposuisse veritates fidei quam ab iisdem praescidisse est credendus; imo de facto saepe ita proponit argumenta convenientiae tamquam quae incauto legenti viderentur argumenta demonstrativa ex naturaliter notis; exemplo sit quod dicitur I, 27, l de necessitate verbi in omni intelligente quamvis idem S. Thomas alibi clare docuit verbum divinum sola revelatione esse cognoscibile. In particulari, circa visionem eiusque cognoscibilitatem, recolendum est S. Thomam non elaborasse conceptum de "natura pura" et ideo de actualibus et non de meritis possibilibus sermonem fecisse. Circa beatitudinem humanam distinxit inter beatitudinem imperfectam quae in hac vita haberi possit et beatitudinem perfectam quae in visione Dei consistit (ita I-II q 4 aa 5-8; q 5 aa 3-6; cf I, 62, l ubi de beatitudine angelorum naturali et supernaturali fit sermo sed de ~~beatitudine~~ beatitudine humana perfecta et imperfecta qualis in hac vita haberi possit). Beatitudo naturalis humana post hanc vitam systematice quidem ~~et~~ praetermittitur, per transennam tantum tractatur, uti de parvulis sine baptismate mortuis (2 d 33 q 2 a 2; De Malo q 5 a 3).

Quare sententia S. Thomas ex loco explicito De Malo q 5 a 3 sumenda videtur, neque attendendum est ad id quod concluditur ex I q 12 a 1 et locis similibus; conclusiones enim eiusmodi multipliciter peccant; nam supponunt S. Thomam magis philosophum quam theologum; ignorant habitualem eius modum proponendi argumenta convenientiae; ducunt in consequentias impossibiles, v.g. S. Thomam habuisse visionem Dei tamquam naturaliter debitam, id quod saepe et explicite negat.

11. Obici potest: Quod naturaliter desideratur, naturaliter exigitur; atqui visio dicitur naturaliter desiderari; ergo naturaliter exigitur.

Resp. Naturaliter exigitur quod naturaliter desideratur potentia naturali, C; quod naturaliter desideratur potentia obedientiali, N; et contra-distinguitur minor.

Inst. Naturaliter desiderare per potentiam obedientialem implicat contradictionem. Ergo nulla solutio.

Resp. Contradiccio implicatur si potentia obedientialis non est intrinsece eadem ac potentia naturalis, C; si est eadem, N.

Ex eodem naturali desiderio intelligendi idem intellectus tendit in eiusdem essentiae divinae cognitionem, vel analogicam et naturalem, vel supernaturalem et intuitivam, prout causa efficiens extrinseca tantum naturae exigentiis cedit vel gratuito in finem supernaturalem producit.

Inst. ~~Nihil in natura frustra. Atqui frustra est desiderium naturale quod naturaliter non expletum~~

Inst. Frustra est naturale desiderium quod naturaliter non expletur. Atqui nihil in natura frustra. Ergo nihil est naturale desiderium quod naturaliter non expletur.

Resp. Frustra est naturale desiderium quod naturaliter non expletur, si etiam supernaturaliter expleri non potest, C; secus, N.

"Frustra" enim dicit totalem negationem finalitatis.

Inst. Ergo beatitudo naturalis non expletum omne desiderium naturale.

Resp. Non explet omne desiderium elicatum intra naturae proportionem, N; non explet omnem tendentiam scdm quam homo perfici potest, C.

Ergo-natur

Inst. Ergo naturaliter beati lugent de perfectibilitate quadam sua quae non perficitur.

Resp. Si cognoscunt hominis finem supernaturalem quae sola revelatione cognoscuntur et adeo sunt irrationabiles ut de bonis sibi mere possibilibus et nullo modo debitum tamquam de lamentabili privatione conquerantur, C; si nesciunt vel si sunt rationabiles, N.

Inst. Saltem negatur quies in beatitudine naturali.

Resp. Si quis malit dicere naturaliter beatos non proficere in analogica Dei cognitione, dicat, modo hanc positionem tueri possit. Ad objectionem responderi potest:

Negatur immobilitas beatitudinis divinae et supernaturalis, C; negatur quies quae ex notione finis demonstrari potest, N.

Inst. At supposito naturali desiderio visionis, ex naturalibus concludi potest ad possibilitatem visionis neque requiritur revelatio; ergo saltem ex parte solutio claudicat.

Resp. Si ipsum naturale desiderium visionis cognosci potest sine revelatione, C; secus, N.

Naturale desiderium visionis cognoscitur postquam theologus factum visionis cognovit et inquantum eius convenientiam explicare conatur.

Inst. Saltem negatur quies in beatitudine naturali.

Resp. Negatur immobilitas intrinseca quae pertinet ad beatitudinem ipsius Dei et ad beatitudinem supernaturalem quatenus est participatio indebita beatitudinis Dei, C; negatur ea quies quae ex ratione finis demonstrari potest, N.

At si quis malit affirmare naturaliter beatos non proficere in analogica cognitione divinae essentiae, omnino affirmet, modo suam positionem ~~mixtum~~ tueri possit.

Scolion II : De actibus supernaturalibus qua vitalibus.

1. Quaeritur quaeam conditiones sint suffientes et necessariae ut actus supernaturalis subiecto insit. Primo, quaeritur circa receptionem actus supernaturalis. Secundo, quaeritur circa productionem actus supernaturalis. Tertio, notantur sententiae speciales circa actus supernaturales qua vitales.

2. In genere ad receptionem actus supernaturalis requiritur et sufficit potentia obedientialis. Haec potentia obedientialis intrinsece est eadem ac ipsa subiecti potentia naturalis, modo subiectum sit intellectualis naturae.

Ratio huius asserti est impossibilitas seriei infinitae. Si enim ante receptionem actus supernaturalis requireretur in subiecto elevatio quaedam ad ordinem supernaturalem, tunc haec elevatio esset vel extrinseca vel intrinseca. Si dicitur extrinseca, nihil ponit in subiecto, et cum nihil in Deo immutabili posse ponere possit, videtur esse nihil simpliciter a parte rei. Si vero dicuntur intrinseca, aliquid in subiecto posse ponens, tunc hoc quod ponitur aut est supernaturale aut non; si non est supernaturale, non videtur elevare subiectum ad ordinem supernaturalem; si est supernaturale, statim reddit quaestio utrum aliud supernaturale praerequiratur ante huius receptionem et ita in finem infinitum. posse

Concludendum est universaliter non potest requiri elevationem supernaturalem ante receptionem actus supernaturalis.

3. In specie quidam actus supernaturales non recipiuntur ante aliam receptionem supernaturalem.

Visio beatifica non recipitur nisi in remote disposito per gratiam sanctificantem et proxime disposito per receptionem luminis gloriae.

Caritas non recipitur nisi in iustificato. Est enim amor amicitiae, qui haberi non potest nisi inter amicos; sed per receptionem gratiae sanctificantis, ex qua fluunt caeterae virtutes infusae, efficimur amici Dei.

Praeterea, in utroque casu habetur actus simpliciter supernaturalis formaliter, scil. quo attingitur ipse Deus uti in se est.

4. Ad alios actus virtutum supernaturalium non praerequiritur infusio habitus supernaturalis. Nam alii actus supernaturales eliciuntur in præparatione ad iustificationem (DB 798); sed in ipsa iustificatione infunduntur habitus supernaturales (DB 800).

Accedit quod hi actus sunt simpliciter supernaturales non formaliter formaliter sed virtualiter, scil. non attingunt Deum uti in se est nisi secundum quid, i.e. in quantum revelatur, vel bonum futurum speratur, vel aliter fit regula virtutis.

~~Quantum ergo hos actus attinet, effectus virtutis infusae est ut actus secundus sit connaturalis subiecto. Sicut actus sciendi potest inesse vel scientifico vel discipulo addiscendi, sed per se et connaturaliter scientifico inest, sed non sine magno labore inest discipulo, ita actus supernaturalis virtutis per se et connaturaliter inest virtatem habenti, per accidens vero non habenti.~~

5. Quare effectus virtutis infusae est duplex; virtus caritatis infusa non solum facit subiectum connaturale ad actum secundum caritatis sed etiam facit ut actus

5. Quare effectus virtutis infusae est duplex. Semper enim infusa virtus facit subiectum connaturale ad receptionem actus secundi eiusdem virtutis: virtus enim est habitus operativus bonus; habitus vero est principium quo actus secundus per se subiecto inest.

Interdum etiam virtus infusa facit ut actus secundus subiecto inesse possit; et hoc verificatur circa caritatem quae subiecto non inest sine virtute infusa; sed non verificatur circa alias virtutes quarum actus subiecto inesse possunt ante iustificationem in qua virtutes infunduntur.

6. Postquam de receptione actuum supernaturalium actum est, iam de eorum productione est agendum.

Solus Deus est causa efficiens naturaliter proportionata ad actus supernaturales producendos: hi enim actus excedunt naturalem proportionem cuiuslibet substantiae finitae.

Quare quaecumque substantia finita eatenus producit actum supernaturalem quatenus supra proportionem suae naturae elevatur.

Haec elevatio est duplex prout respicit actum primum vel actum secundum. Substantia finita elevatur ad actum primum in quantum recipit virtutes infusas. Substantia finita elevatur ad actum secundum in quantum motio divina producit actum secundum in subiecto. De hac duplice elevatione duo maxime sunt notanda.

Actus primus se habet ad actum secundum, sicut perfectibile ad suam perfectionem; ita forma substantialis se habet ad esse, habitus ad usum, forma gravitatis ad motum deorsum, etc. Quare substantia finita ad actum primum elevata non ideo potest producere actum secundum. Eatenuis potest producere actum secundum quatenus ad actum secundum iam est elevata. Ita qui movetur a Deo ad actum volendi finem supernaturalem, potest producere actum volendi medium supernaturale. Sed qui non movetur a Deo ad actum volendi finem, etiamsi actu primo (virtute) elevata sit, non potest producere actum volendi media supernaturalia.

Interdum sed non semper praesupponitur receptio actus primi ante receptionem actus secundi. Praesupponitur quoad actum secundum caritatis; sed non necessario praesupponitur quoad actus secundos aliarum virtutum; hi enim actus ante virtutes infusas recipi possunt.

7. Ulterior est quaestio de iisdem actibus prout sunt actus liberi.

Actus est liber vel virtualiter vel formaliter vel denominative.

Actus est liber virtualiter in cuius virtute subiectum potest producere vel non producere aliud actum. Velle finem, ergo, est actus liber virtualiter, scil. ad modum libere efficientis.

Actus est liber formaliter cui primo et per se inest ratio libertatis. Ita velle media est actus liber formaliter quia huic actui primo et per se inest ratio libertatis, scil. posse esse vel non esse ad lubitum subiecti.

5. Quantum ergo receptionem actuum supernaturalium attinet,
in genere sufficit potentia obedientialis subiecti.

Actus caritatis praeterea requirit virtutem caritatis
infusam; actus visionis requirit infusum lumen gloriae.

Alii actus, uti fidei, spei, virtutum cardinalium, dupliciter
insunt: primo modo, in quantum subiectum a Deo movetur, et ita
ante virtutes in iustificatione infusas; alio modo, in quantum
subiectum iam est factum connaturale ad receptionem horum
actuum per virtutes infusas

Actus est liber denominative cui inest ratio libertatis sed non primo vel per se. Ita moveri brachium est actus denominative liber; ei inest ratio libertatis, scil. posse esse vel non esse ad libitum subiecti; sed hoc ei inest non per se, scil. quia est motus brachii, neque primo, nam primo inest actui in voluntate elicito.

Unde concludes actus liberos sive formaliter sive denominative necessario produci ab ipso subiecto eorumdem actuum. Contra, actus virtualiter liberi non necessario producuntur ab ipso eorum subiecto; his enim actibus subiectum redditur capax producendi alium actum secundum; ita in doctrina S. Thomae velle finem producitur quoad exercitium a motore extrinseco qui est Deus (De Malo q 6 a 1; I-II q 9; N.B. haec doctrina non invenitur in operibus prioribus, v.g. in Sent., De Ver., De Pot., C. Gent. Parte Prima Summae).

8. Ulterior est etiam quaestio de iisdem actibus prout sunt vitales.

Actus vitalis est actus secundus in vivente elicitus; ita sentire, intelligere, velle.

Sunt qui teneant actus vitales esse sicut actus liberos, eos necessario produci ab ipso eorum subiecto; imo actus vitales assimilantur non tantum actibus liberis sed actibus formaliter liberis, ita ut subiectum ratione principii proportionati in ipsa potentia actus receptiva producat actum vitalem.

Hae doctrina, prout profiteri solet, fundatur in mirabili qualitate vitalitatis qui in his actibus invenitur. De facto, uti mihi videtur, fundatur in confusione inter potentiam activam proprie et impropre dictam et in confusione inter operationem prout denominat actum secundum et prout denominat exercitium causalitatis efficientis. Mirabilis illa qualitas vitalitatis nihil est nisi perfectio quedam superior in gradibus entitativis: actus purus, qui nihil in se producit, est perfecte vivens; quo magis participatur actus purus, eo maior habetur perfectio; et quo maior habetur perfectio, eo mirabilior est perfectio.

8. Ultima denique est quaestio de his iisdem actibus, non qua supernaturalibus, neque qua salutaribus, neque qua meritoriis, neque qua liberis, sed qua vitalibus.

Actus vitalis est actus viventis qua viventis; ita nutriti, sentire, intelligere, velle.

Sat communiter his ultimis saeculis actus vitales assimilantur actus liberis in quantum debent produci ab ipso eorum subiecto; imo assimilantur non tantum actibus denominative sed actibus formaliter liberis, scil. principium quo subiectum est proportionatum ad eorum productionem debet inveniri in ipsa eadem potentia in qua actus vitalis invenitur productus.

Fundamentum huius sententiae profertur mirabilis illa qualitas quae in actibus vitalibus invenitur, nempe, vitalitas. Qui dicit vitalitatem, aiunt, dicit activitatem; qui dicit activitatem, dicit productionem, causalitatem efficientem; ergo actus vitalis qua talis necessario a suo subiecto producitur.

Prius de ipsa sententia philosophica, deinde de consequentiis theologicis agendum est.

9. S. Thomas sane admisit aliquos actus vitales produci ab eorum subiecto; ita intelligere producitur in intellectu possibili a subiecto per phantasma ab intellectu agente illuminatum. Imo non nullos actus vitales habuit productos a subiecto ratione principii proportionati in eadem potentia in qua actus vitalis recipitur; ita verbum producitur in intellectu possibili ratione actus intelligendi in eodem intellectu possibili; et in doctrina posteriori volitio medi producitur in voluntate ratione actus volendi finem qui actus in eadem voluntate existit.

Si vero ipse Tm S. Thomas auditur, susteneri non potest sententia quae vult omnes actus vitales ab ipso eorum subiecto productos.

"Velle finem" est actus vitalis qui, quoad exercitium, producitur a motore extrinseco. De Malo q 6 a 1; I-II, 9, 4. Praeterea, in doctrina priore de voluntate quando sine distinctione inter specificationem et exercitium actus dominabatur axioma Aristotelicum "appetibile apprehensum movet appetitum," non solum exercitium actus voluntatis sed etiam specificatio actus producebatur ab obiecto appreheenso.

Deinde "sentire," "cognitio sensus," "operatio sensus" est actus vitalis; qui actus semper a S. Thoma docetur produci ab obiecto sensibili.

"Cognitio sensus perficitur in hoc ipso quod sensus a sensibili movetur." 4 d 50 q1 a 4 sol.

"Anima igitur sensitiva non se habet in sentiendo sicut movens et agens, sed sicut id quo patiens patitur." C. Gent. II, 57.

"Si vero operatio illa consistat in passione, adest ei principium passivum, sicut patet de principiis sensitivis in animalibus." C. Gent. II, 76.

"Sentire consistit in moveri et pati." In II de An., lect. 10, §350.

"Substantia uniuscuiusque sensus et anima eius definitio est in hoc quod est aptum natum pati a sensibili." ibid. lect. 13, §387.

"Sentire consistit in quodam pati et alterari." ibid. §393.

"Sensem affici est ipsum eius sentire." I, 17, 2, lm.

"Sentire perficitur per actionem sensibilis in sensum." I, 27, 5, c.

"... duplex operatio. Una scdm solam immutationem, et sic perficitur operatio sensus per hoc quod immutatur a sensibili." I, 85, 2, 3m.

"Cognitio sensus exterioris perficitur per solam immutationem sensus a sensibili." Quodl. 5, a. 9, ad 2m.

Hi textus omne effugium praeccludunt: "sentire" "cognitio sensus" "operatio sensus" (ergo non actus primus sed secundus) "perficitur" "consistit" "est" (ideoque non tantum praeparatur) in "moveri" "alterari" "pati" & "affici" "immutari" ipsius sensus ab obiecto sensibili (ideoque non est actus vitalis ad mentem recentiorum).

Effugia quae finguntur consistunt maxime in his duobus: confunditur "activa potentia" prout est principium effectus et prout est actus primus receptivus actus secundi (vide supra, potentia activa proprie et improprie dicta); confunditur "operatio" "actio" prout significat actum secundum et prout significat exercitium & causalitatis efficientis.

10. Scdm Scotum actus cognoscitivus producitur a duplice causa efficienti partiali, nempe, ab obiecto vel specie et simul a vi cognoscitiva. V.g., Op. Ox., 1 d 3 q 7 (Vives IX, 361 ss).

Caietanus Scotum quandoque secutus post doctior factus correxit suam sententiam (Vide In I, q 12, a 2, §XIV, Leon IV, 118 f). Ad claram notionem actionis eum pervenisse haud potest concludi ab eo qui legit commentarium super I, q. 79, a. 2, §XVIII et ss. In commentariis super Summam docet activitatem animae relate ad productionem cognitionis sensitivae (I, 82, 4, §IV, Leon. V, 304) ubi refert ad Arist. de Anima (hic distingui oportet duplacetem quaestionem: num anima remote causat sensationem inquantum est principium ex quo fluit ipse sensus; num anima causat sensationem positive influendo in productionem ipsius actus secundi; priori quaestioni affirmative, posteriori negative est respondendum; vide C. Gent. II, 57, cit. supra).

Caietanus vero in commentariis suis in De Anima clare sese opponit sententiae subsequenti. Reicit sententiam scdm quam datur duplex mutatio "et prima quidem fit ab obiecto, et terminatur ad speciem qua sensus fit similis sensibili; secunda autem fit ab anima et terminatura d ipsam sensationem, qua sensus est formaliter sentiens." Contra talem positionem asserit: "Non est putandum quod species sensibilis et sensatio sint sic duo entia ut dent duo esse: sed se habent ut forma et esse formae, ut albedo et esse album... et propterea sicut eadem est mutatio ad albedinem et esse album, ita eadem est mutatio ad speciem visibilem et videre." Vide: Yves Simon, Rev. de Phil. IV, 1933, pp. 236xxx 235 s.

Ferrariensis leviter ex operatione ad productionem concludit. In II C. Gent., 57, §2 (Leon. XIII, 408a).

Sententia Ioannis a S. Thoma longe exponitur et defenditur ab Yves Simon, art. sup. cit. (pp. 228-258). Dicit: "Les arguments de Jean de s. Thomas en faveur de l'activité du sens se ramènent tous à faire valoir que la sensation est un acte vital: or qui dit vie, dit activité." (p. 255). Eloquenter suam sententiam proposuit joannes: obiectum se habet ut pater, sensus se habet ut mater a patre foecundata, preles-se-hab actus vitalis sentiendi se habet ut proles procedens immediate a sola matre.

11. Qui tenent actum vitalem necessario produci a subiecto actus, contenti esse non possunt cum eis quae supra posuimus circa receptionem et productionem actus supernaturalis. Actus supernaturalis sive credendi sive sperandi sive poenitendi est actus vitalis; quatenus est actus liber, concedimus eum produci a subiecto; quatenus vero actus est vitalis, nobis sufficit mera receptio in subiecto, adversarii vero requirunt non solum receptionem in subiecto sed etiam productionem a subiecto, et quidem productionem a subiecto ratione principii proportionati ~~est~~ in eadem potentia recepti.

Ut adsit tale principium proportionatum ad productionem actus supernaturalis, ante ipsum vitalem actum praerequiritur in potentia actus supernaturalis non vitalis vel alia elevatio a Deo solo facta et nobis inconscia. Huic principio consentaneis, in diversas vias solvendi problema sic inventum abeunt.

Baneziana docent duplarem praemotionem physicam: alia respicit actum primum et nominatur gratia sufficiens et excitans; alia respicit actum secundum et nominatur gratia efficax et adiuvans; prima datur ut homo possit producere vitaliter actum supernaturalem; secunda datur ut homo de facto producat vitaliter actum supernaturalem. Utraque est entitas quaedam physica in potentia recepta, elevans potentiam si habitus desit, non vitalis, suapte natura fluens.

Haec sententia duplicitate modificatur: primo modo, uti a E. Billot, admittitur prima praemotio sed negatur secunda; alio modo admittitur prima praemotio sed secunda admittitur ante virtutes infusas, negatur post virtutes infusas.

Molinistae e contra communiter docent elevationem extrinsecam ante ~~vitalem~~ virtutes infusas, concursum simultaneum supernaturalem post virtutes infusas (virtutes infusae concipiuntur non ad modum actus primi qui per actum secundum perficitur, sed ad modum causae efficientis quae actum secundum producit). Arguunt multas esse causas relate ad actum vitalem, nempe, Deum, obiectum, habitum, potentiam; non omnes necessario ipsi subiecto inesse; quare quod Deus per creaturam efficere potest, etiam specialiter assistendo ab extrinseco per creaturam efficere potest; ergo creatura potest producere actum supernaturalem nullo ente in se recepto, sed tantum Deo specialiter ab extrinseco assistente et elevante. ~~Uti videtur ista extrinseca elevatio aut est nihil prorsus aut identificatur cum actu vitali producendo: quia extrinseca est, in creatura non est; et Deus est immutabilis.~~

12. Ut huic rei finem imponamus, crisis et iudicium proponi debent.

Sententia negans actum vitalem necessario ab ipso subiecto produci 1) clare docetur a S. Thoma, 2) forte docetur a Caletano, 3) elegantem et simplicissimam solutionem circa actus supernaturales praebet, 4) praetermitti solet a theologis, duce Scoto.

Sententia Baneziana 1) cohaerenter resolvit problema actus supernaturalis vitalis 2) componi non potest cum libertate humana.

Sententia P. Billot 1) minus cohaerenter resolvit problema actus supernaturalis vitalis 2) componi potest cum libertate humana.

Sententia communior Molinistarum 1) componi potest cum libertate humana 2) nihil dicit. Elevatio enim extrinseca nihil est in creatura, nam creature est extrinsca; et nihil est in Deo assistente, nam Deus est immutabilis; et inepte identifieatur cum ipso actu vitali producto, nam tota quaestio est de praevia proportione subiecti ad productionem.

Secunda sententia admitti non potest. Prima et quarta ad idem redeunt: quarta enim nihil dicit, prima vero huius-asser tenet nihil esse dicendum quia problema est nullum. Qui ergo asserit nihil in subiecto recipi oportere ut actum supernaturale eliciat, habet secum et S. Thomam et Molinistas; quorum auctoritas forte maior est quam Patris Billot.

qua vitale

¹⁷ Scholion III : De concursu divino.

Concursus divinus est causalitas efficiens divina relate ad effectus quos Deus producit et etiam creatura producit.

Cuius rei difficultas ex duplice quaestione oritur: primo, quaenam realitas obiectiva sit causalitas efficiens; deinde, quaenam realitas obiectiva sit causalitas efficiens mediata.

Primae quaestioni duplice respondetur: primo, causalitas efficiens ex parte rei est quidam influxus; aliter, causalitas efficiens ex parte rei est realis relatio dependentiae ad id a quo effectus dependet.

Tripliciter, si causalitas efficiens dicitur esse \neq influxus, explicatur causalitas efficiens mediata.

Primo modo, causalitas efficiens mediata non est tertius quidam influxus; est nomen impositum ad indicandos duos alios influxus. Puta, si A causat B, et B causat C, dantur duo influxus influxus, nempe, ab A in B, et a B in C; sed non datur tertius influxus ab A in C; praeter duos priores influxus causalitatis immediatee, causalitas mediata nihil est nisi nomen. Ita haberi potest sententia associata cum Durando: Deus causat creaturam, creatura producit effectum suum, sed Deus non exercet aliam causalitatem praeter eam qua creaturam producit.

Altero modo, saltem interdum causalitas efficiens mediata non est nomen tantum sed \neq tertius influxus. Non solum datur influxus ab A in B, et a B in C, sed simul cum influxu ab B in C habetur tertius influxus ab A in C. Hic tertius influxus nominari potest concursus simultaneus. Ita habetur sententia similis illi quae Molinae attribuitur.

Tertio modo, saltem interdum causalitas efficiens mediata non est nomen tantum sed tertius influxus; neque tamen est tertius influxus immediatus, sicut in secunda sententia quae re vera non salvat causalitatem efficientem mediata. Oportet distingui inter B prout est effectus A et prout est causa C: primo influxu ab A in B dat B' (B prout est effectus A); altero influxu ab A in B dat B'' (B prout est causa C); tertio influxu ab B' in C dat C. Hic alter influxus nominari potest praemetie-physica causalitas efficiens relate ad praemotionem physicam. Et ita habetur sententia similis illi quae attribuitur Bannezio.

Tres hae sententiae ~~sunt~~ errare videntur in conceptu ipsius causalitatis efficientis. Quid enim est influxus ille? Aut est realitas quaedam obiectiva aut non est. Si non, omnis causalitas efficiens est vacuum nomen, et nulla est realitas obiectiva. Sin est realitas obiectiva, tunc et ipse causam efficientem habeat necesse est. Haec causa efficiens debet exercere influxum ad producendum influxum priorem. Hic novus influxus est realitas, habet causam efficientem, tertio influxu producitur. Et ita proceditur in infinitum. Quod est inconveniens.

Haec obiectio facile solvitur in altera opinione, nempe, causalitatem efficientem a parte rei esse relationem realem. Nam relatio relationis est ens rationis, ideoque causalitas efficiens causalitatis efficientis est \neq ens rationis tantum, quamvis causalitas efficiens sit ens reale, nempe, relatio realis.

Sit ergo realitas obiectiva causalitatis efficiens relatio realis dependentiae ad id a quo. Tunc causalitas efficiens mediata facile concipitur: nam omnis causalitas efficiens sive mediate sive immediata est realis relationem dependentiae relate ad id a quo.

Utrum habeatur causalitas efficiens mediata necne, determinatur per distinctionem inter causas per se et per accidens ordinatas. Si voluntas movet digitos, et digitus movent machinam dactylographicam, voluntas et digitus sunt causeae per se ordinatae; scil. una est intelligibilis processio a voluntate in scriptum. Si Abraham genuit Isaac, et Isaac genuit Jacob, habentur causeae per accidens ordinatae: Abraham enim non est causa sed conditio generationis Jacob.

Praeterea, distinguitur duplex immediatio, immediatio virtutis et immediatio suppositi. Illa causa est immediata immediatione virtutis quae non agit ut instrumentum alterius. Illa causa est immediata immediatione ~~mix~~ suppositi quae non usurpat aliam causam tamquam instrumentum.

Attamen hac in sententia, sicut in priore, triplex habetur divisio sententiarum quatenus haec causalitatis analysis applicatur concursui divino. Applicatio enim pendet ex ratione cur dicantur Deus et creatura esse causeae per se ordinatae relate ad aliquem effectum. Et tripliciter eiusmodi ratio assignari potest.

Primo modo, relate ad actus vitales. Actus vitalis debet produci a subiecto in quo est. At nullum subiectum ~~maxatum~~ potest de suo augere suam perfectionem. Ergo requiritur praemotio physica quae reddit subiectum proportionatum ad actum vitalem producendum. Proinde, universaliter loquendo, Deus solus est causa proportionata ad eiusmodi praemotiones efficiendas. Ergo solus Deus causat praemotiones requisitas ad actus vitales.

Secundo modo, relate ad omnem prorsus effectum a creatura productum. Viget realis distinctio inter potentiam agendi et ipsum agere. Creatura naturaliter possidet potentiam agendi. Sed creatura non potest sibi dare ipsum agere: maior enim est actus quam potentia. Ergo creatura ab alio recipere debet ipsum agere ut actualiter effectum producat. Proinde, solus Deus est causa efficiens proportionata ad dandum ipsum agere; nam omnis effectus est ens; sed solus Deus proportionatur ad causandum esse (solus enim Deus est esse secundum perfectionem propriae formae); ergo solus Deus proportionatur ad dandum ipsum agere (vel praemotionem ad ipsum agere) quo actualiter esse effectus producitur.

Tertio modo, relate ad omnem prorsus effectum a creatura productum. Omnis causa efficiens finita est conditionata: naturaliter potest agere; sed non actu producit effectum nisi conditiones impletur. Atqui solus Deus est causa proportionata ad efficiendam impletionem conditionum. Ergo solus Deus est causa proportionata ad eius quod causa finita actu producit effectum.

Maior: constat ex eo quod nulla creatura posset potest creare; ergo omnis causa finita supponit subiectum in quod agat; praeterea, omnis causa finita supponit alias conditiones impletas, scil. debetam proportionem inter se et patiens, debitas habitudines inter se et patiens. Sine his conditionibus impletis, causa finita nihil potest facere.

Minor: solus Deus est causa proportionata ad efficiendam impletionem conditionum. Primo quia solus Deus creat patiens. Secundo, etiam supposita creatione et supposito quod aliae causae finitae alterius conditiones impleri possunt, tamen non actu implent nisi efficienter causando; et earum efficientia est pariter conditionata. Numquam per causas finitas habetur causa proportionata ad impletionem conditionum, sed tantum idem problema ab una causa ad aliam transfertur. Quare applicatio causae finitae ad actionem suam, quamvis per alias causas finitas efficiatur immediate immediatione suppositi, numquam tamen fit nisi a Deo tamquam causa proportionata, principali, immediate agente immediatione virtutis.

Ex quo statim sequitur non solum Deum creare et conservare sed etiam applicare omnem causam finitam ad suam actionem et ulterius habere totam seriem cosmicam causarum tamquam instrumentum. Neque quicquam refert utrum effectus de quo agitur sit naturalis an actus intra ipsam voluntatem elicitus.

Hic tertius modus nobis praeceteris placet. Nam est demonstrabilis et de facto demonstratur. Praeterea gaudet auctoritate D. Thomae, uti alibi stabilitum est (*Theol. Studies*, III (1942) 375-402.)

Quantum primum modum attinet, distinguitur prima maior. Actus vitalis debet produci a subiecto in quo est, aliquis, C, omnis, peto probationem. Vivens movet se ipsum in quantum una pars movet aliam; sed hic motus non est circularis; incipit ab extrinseco.

Quantum secundum modum attinet, pariter distinguitur prima maior. Viget duplex realis distingatio inter potentiam agendi et ipsum agere. Potentia agendi potest esse potentia activa proprie dicta et potest esse potentia activa improprie dicta; proprie est actus secundus; improprie est actus primus. Iterum, ipsum agere est duplex: est operatio, actus secundus et sic correspondet potentiae activae improprie dictae seu actui primo; est etiam exercitium causalitatis efficientis, et tunc est relatio realis in effectu relate ad causam efficientem. In utroque casu casu habetur realis distinctio; sed in utroque casu ipsum agere non addit novam realitatem in subiecto. Unde contra-distinguitur minor: creatura non potest sibi dare ipsum agere; scil. creatura in actu primo qua in actu primo non est causa proportionata actus secundi insere recepti, C; scil. creatura in actu secundo qua in actu secundo non est causa proportionata relate ad effectum intra suam proportionem, peto probationem.

Accedit quod hi duo modi numquam cum libertate sunt conciliati et de facto numquam conciliari poterunt: re vera tollunt causalitatem a creatura; et si creatura non potest causare, non potest libere causare.

Scholion 1: De efficacia concursus divini.

1. Efficacia dicitur de causa efficiente; super ipsam efficientiam addit indefectibilitatem; ideoque causa efficiens est efficax quae ab effectu producendo deficere non potest.

Interdum dicitur causa esse efficax quae infallibiliter suum effectum producit; quod tamen minus accurate dictum esse videtur; infallibilitas enim pertinet ad certitudinem quae habetur in cognoscente de effectu ex causa; ad ipsam vero causam pertinet non tam infallibilitas quam indefectibilitas, irresistibilitas, efficacia.

2. Efficacia dividitur multipliciter.

Efficacia est intrinseca vele extrinseca: efficacia intrinseca dicitur de causa ratione ipsius causae; efficacia extrinseca dicitur de causa ratione alterius. Gratia efficax Banneziana est intrinsece efficax, sed gratia efficax Molinistarum est extrinsece efficax.

Efficacia est praevia vel simultanea: efficacia praevia est

Efficacia est antecedens vel consequens: efficacia antecedens pertinet ad causam antecedenter ad occurrentiam effectus; efficacia consequens pertinet ad causam solummodo quia de facto effectus occurrit; efficacia consequens est improprie dicta; re vera est inefficacia.

Efficacia est praevia vel simultanea: efficacia praevia adaequate distinguitur ab eo quod effectus ~~non~~ occurrit; efficacia simultanea non adaequate distinguitur ab eo quod effectus occurrit. Ita in systemate Banneziano efficacia praemotionis est praevia; in systemate vero Molinistico efficacia est simultanea, nam habetur ~~in~~ praevisione effectus in scientia media.

Efficacia est absoluta vel relativa: absoluta efficacia generat certitudinem metaphysicam; relativa efficacia generat certitudinem physicam vel moralem. Efficacia relativa est improprie dicta; re vera est inefficacia; nam dicta certitudo physica vel moralis supponit continuationem alicuius ordinis qui cessare potest; haec suppositio habet maximam probabilitatem; sed eo ipso quod ordo naturae cessare potest, plus quam probabilitatem maximam non habet.

3. Concursum divinum esse efficacem constat inter theologos.

Systemata saeculo XVI inventa exhibent doctrinam ~~valde~~ breuem disciplinem de hac efficacia. Aut Deus dat praemotionem physicam aut non dat; si dat, effectus habetur ~~necessarie~~; si non dat, effectus haberi non potest. Iterum aut Deus concurrit aut non concurrit; si concurrit, certo effectus habetur; si non concurrit, certo effectus ~~non~~ non habetur. In utroque systemate efficacia gratiae est absoluta et antecedens; sed in Banneziano est etiam praevia et intrinseca; in systemate vero Molinistico est simultanea et extrinseca.

Quid vero senserit D. Thomas, breviter est exponendum.

4. Efficacia ipsius Dei et efficacia instrumentorum Dei.

Docuit Aquinas Deum dare esse, et conservare, et applicare, et tamquam instrumentum adhibere omnes et singulas causas finitas; cumque "causa causae est causa causati," Deum esse causam efficientem cuiuslibet effectus sive in natura sive in voluntate.

Duplex ergo est quaestio de efficacia in hoc systemate: quaenam efficacia ipsis instrumentis sit ascribenda; quaenam efficacia ipsi Deo sit ascribenda.

5. Efficacia instrumentorum Dei in genere.

Cf. C. Gent., III, 94; In VI Met., lect. 3, §1202 ss.; In I Periherm., lect. 13 et 14; I, 19, 6; I, 22, 2; I, 103, 7; I, 116, 1; etc.

His in locis arguitur ex natura defectibilitatis. Causa efficiens potest a suo effectu producendo deficere in quantum alia causa intervenit et effectum impedit. Huiusmodi impeditio accidere potest tantummodo causae particulari; nam causa universalis movet et applicat omnes alias causas; si ergo aliqua causa ~~ex~~ particularis aliam causam particularem impedit, hoc est ex intentione et applicatione causae universalis; et si non impedit, iterum hoc est ex intentione et applicatione causae universalis; in omni ergo casu causa universalis a suo effectu producendo impediri non potest. Sequitur causam universalem simpliciter, nempe Deum, esse indefectibilem et efficacem.

Quaeri potest utrum causae particulares omnes simul sumptae sint absolute vel relative efficaces. Respondetur distinguendo "omnes." Si "omnes" intelligis esse omnes causas creatas actu existentes, efficacia est tantummodo relativa; potest enim Deus aliam causam creare et/hanc causam nuper creatam impedire effectum quem secus "omnes" causae actu existentes producerent. Si "omnes" intelligis non solum omnes causas actu existentes sed etiam omnes possibles quas Deus creare et intervenire et impedire facere posset, habetur efficacia absoluta. Ut patet, haec efficacia absoluta invenitur non in causis creatis qua talibus sed in intentione ipsius Dei.

Unde docuit Aquinas nullam certitudinem praeter ~~coniecturalem~~ conjecturalem haberi posse de effectu ex causis contingentibus, e.g. I, 14, 13. Ubi notandum est Aquinatem habuisse ut causas contingentes non solum voluntates liberas sed etiam omnes causas terrestres; cf. In IV Met. et in I Periherm., loc. cit. sup.

6. Efficacia instrumentorum Dei in specie.

Quae numero praecedente relata sunt, tam de voluntate quam de rebus naturalibus valent. Quae vero voluntatem specialiter respiciunt, addere nunc placet.

Docuit Aquinas Deum regere voluntatem. Imo nisi Deus voluntates liberas rexisset, nulla prorsus fuisse exsecutio providentiae divinae; nam ita Deus mundum gubernat ut entia inferiora per entia superiora, rationalia, et libera administrentur. C. Gent., III, 90, Amplius.

Quare continuo citat Aquinas: "Cor re-^{gis} in manu Dei; quo-cum-que voluerit vertit illud." Docet solum Deum immediate in voluntatem agere posse (I-II, 9, 6, c, et 1m). Docet Deum inclinare voluntatem prout vult ipse Deus (De Ver 22 a 8; 24 aa 12 et 14; 27 a 5; De Malo q 6 a 1; q 16 a 5; I-II q 9 aa 4 et 6 ad 3m; q 109 a 6; q 111 a 2; III q 85 a 5).

Breviter ex generali theoria de operatione Dei in omni operatione creaturae, nihil est in intellectu movens voluntatem ad specificationem actus, nihil est in parte sensitiva inclinans hominem in hanc vel illam electionem, nihil est in ipsa voluntate sive per modum actus primi, ut dispositio vel habitus, sive per modum actus secundi, ut volitio finis vel mediorum, quod ipse Deus sive immediate sive mediate non produxerit.

Regit ergo voluntatem Deus, quia ex intentione et applicatione ~~est~~ Dei est quidquid in voluntatem influit et quidquid in voluntate existit.

At si haec finita entia sola respicis, non habetur nisi efficacia relativa relate ad actum-formaliter liberum. Non solum valet quod supra dictum est de efficacia relativa instrumentorum Dei in genere, sed etiam adest specialis consideratio. Nam voluntas libera a suo effectu deficere potest, non solum quia causa impediens intervenit sed etiam quia ipsa voluntas ex sua culpa deficit.

7. Efficacia ipsius Dei.

Repugnat ut ipse Deus, ens infinite perfectum, ignorare possit, ut errare possit, ut volendo frustretur, ut nitendo effectum non producat. Ex ipsa ergo infinita Dei perfectione necessario sequitur Deum esse infallibilem in cognoscendo, irresistibilem in volendo, indefactibilem in efficiendo.

Si ergo Deus hoc aliquid non scit, necessario hoc est; si Deus hoc aliquid vult, necessario hoc est; si Deus hoc aliquid facit, necessario hoc est.

Ipsi ergo Deo pertinet efficacia antecedens et absoluta; antecedens, quia ex sola Dei perfectione concluditur; absoluta, quia oppositum metaphysice repugnat.

8. Efficacia ipsius Dei est transcendens.

Efficacia est transcendens quae pertinet ad causam efficientem quin intercedat nexus causalis necessarius inter causam et effectum.

Efficacia autem est ordinaria quae fundatur in nexu causaliter necessario inter causam et effectum.

E.g., sit A causa finita efficax tunc posito B, tunc posito A, necessario habetur effectus, B; iterum, cognito A perfecte, cognoscitur habitudo tunc A ad B; cognita perfecte hac habitudine, cognoscitur eiusdem necessitas. ~~huius habitudinis~~. Eiusmodi est efficacia ordinaria ut posito A indefectibiliter oriatur B, et cognito A perfecte, infallibiliter cognoscitur B.

Attamen res non ita se habet inter Deum et effectus suos. Deus creat non necessario sed libare; eo quod Deus existit, non necessario existit quaelibet creature; eo quod Deus in se perfecte cognoscitur, non necessario cognoscitur quaelibet creature ut actu existens; Deus enim est entitative idem sive creat sive non creat.

Inter efficaciam ordinariam et efficaciam transcendentem interdedit differentia quaedam maximi momenti. Efficacia enim ordinaria excludit contingentiam effectus; sed efficacia transcendentia non excludit contingentiam effectus. Efficacia ordinaria excludit contingentiam effectus quia efficacia ordinaria supponit nexus causalem necessarium inter causam et effectum, et hic suppositus nexus contradictorie opponitur nexui contingentis. Sed efficacia transcendentia non supponit nexus causalem necessarium inter causam et effectum, imo talem nexus potius excludit; quare ex efficacia transcendentia, concludi non potest effectum non esse contingentem.

D. Thomam docere efficaciam divinam esse transcendentem, apertum est. C. Gent., III, 94; I, 19, 8; In I Periherm., lect. 14, §22; De Subst. Sep., 14 (18); etc.

9. Efficacia ipsius Dei non est praevia sed simultanea.

Hoc apparet ex solutione notae difficultatis.

"Si Deus hoc aliquid esse scit, vult, facit, hoc aliud necessario est; atqui omnia in mundo a Deo sciuntur, voluntur, efficiuntur; ergo omnia in mundo sunt necessario."

~~Ulterius: Quae necessario sunt, non sunt contingentia; atque omnia in mundo sunt necessario;~~

Ulterius: "Quae sunt necessario, sunt non-contingentia; atque omnia in mundo sunt necessario; ergo omnia in mundo sunt non-contingentia; i.e. nihil in mundo est contingens."

Respondetur ad 1m argumentum distinguendo maiorem et conclusionem: hoc aliquid necessario est, necessitate absoluta, N, necessitate hypothetica, C; ergo omnia in mundo sunt necessario, necessitate absoluta, N, necessitate hypothetica, C.

Respondetur ad 2m argumentum distinguendo maiorem et contradistinguendo ~~conclusione~~ minorem: Quae sunt necessario necessitate absoluta sunt non-contingentia, C; quae sunt necessario necessitate hypothetica sunt non-contingentia, N; etc.

Et distinctiones primo explicantur deinde applicantur.

Distinctiones explicantur: necessitas est absoluta quae sine conditione affirmatur; necessitas vero est hypothetica quae ita cum conditione affirmatur ut ipsum consequens in antecedente includatur.

E.g. necessitates absolutae sunt "necesse est Deum esse" et "necesse est bis bina esse quattuor." Sed necessitates hypotheticae sunt "necesse est Socratem sedere si sedet" et "necesse est me hoc eligere si hoc eligo."

Necessitatem hypotheticam cum vera contingentia componi ex ipsis exemplis patet. Fossitan non tam celerriter pateat necessitatem hypotheticam adesse ex efficacia divina, scil. ut consequens propositio "hoc aliquid est" includatur in antecedente propositone "si Deus hoc aliquid vel scit vel vult vel facit."

Ad cuius ergo evidentiam, recolendum est quod, quidquid de Deo ad extra praedicatur, per denominationem extrinsecam praedicatur. Nihil enim in Deo est contingens; sed quaelibet creatura potest non esse; potest ergo non esse volitam a Deo; potest etiam non esse a Deo scitam ut actualis. Iam vero eiusmodi scientia et volitio, quae potest non esse, quae contingens est, non potest esse quid entitativum in ipso Deo in quo nihil-est nulla est realitas contingens. Vere tamen de Deo affirmatur haec scientia

volita
scita

et haec volitio, nam Deus vere scit creaturas ut actuales et vere eas vult. *Sequitur* Quod vere dicitur de Deo et tamen non dicitur propter entitatem in ipso Deo contingenter receptam, dicitur per denominationem extrinsecam. Unde notissima distinctio inter "entitative" et "terminative" quae forte saepius repetitur quam intelligitur.

His positis, habetur intentum. Per denominationem extrinsecam ~~dictum~~ Deus vere affirmatur Deus hoc scire, hoc velle, hoc facere. Sed nulla est vera denominatione extrinseca sine realitate eius quod extrinsece denominat. Ergo "hoc realiter est" includitur in ipso antecedente "si hoc Deus ~~xm~~ scit vel vult vel facit." Sed "hoc est" est consequens; ergo consequens in antecedente includitur; ergo necessitas consequentis non est absoluta sed hypothetica.

Per hanc distinctionem inter necessitatem absolutam et hypotheticam D. Thomas solvit difficultatem petitam sive ex scientia Dei sive ex voluntate Dei sive ex efficientia Dei contra contingentiam creaturarum. Ita 1 d 38 q 1 a 5 ad 4m; 1 d 47 q 1 a 1 ad 2m; I, 14, 13, 2m; I, 116, 3; III, 46, 2; In I Periherm. lect 14; etc.

His dictis, habetur etiam id quod primo intenditur in hac sectione, nempe, efficaciam ipsius Dei quamvis antecedens sit, inquantum ex sola divina perfectione infinita concluditur, tamen non praevia est sed simultanea. Haec enim efficacia non adaequate distinguitur ab ipso effectu, si uidem affirmari non potest de Deo relate ad aliquem effectum quin supponatur ipse effectus per modum extrinsece denominantis.

10. Obiecerit quispiam: Deus aeternaliter scit et vult quodcumque scit et vult. Sed denominans extrinsecum est temporale. Aut ergo ante existentiam extrinsece denominantis Deus et nescit et non vult, aut tunc non fit praedicatio per denominationem extrinsecam. Et in utroque casu claudicat solutio data.

Difficultas oritur ex imaginatione. *Imaginatur* enim aeternitas esse tempus quoddam infinitum, contemporaneum cum tempore quamdiu habetur tempus, et sine contemporaneo antequam habeatur tempus. Huic difficultate ex imaginatione per alias imagines respondet S. Thomas, maxime in Summa quae novitiis intenditur.

Sed ponatur difficultas in forma et quid remanet.

Sit propositio "Deus ab aeterno scit et vult hoc aliquid tali et tanto tempore exsistere." Haec propositio non involvit contradictionem. Veritas huius propositionis per ea quae entitative in Deo inveniuntur non obtinetur, cum nihil in Deo ~~contingens~~, ~~cum~~ nihil entitative in Deo quod potest non esse. Requiritur ergo terminus ad extra ut habeatur adaequatio veritatis inter propositionem et realitatem. Sed quinam terminus ad extra requiritur? Num aeternus terminus ad extra requiritur? Certissime, non requiritur, quia sic falsa evaderet propositio quae asserit terminum ad extra exsistere non aeternaliter sed tali et tanto tempore.

sit/
A/
sit/
A/

72

11. Efficacia divina et peccatum.

Quaeritur quemadmodum fieri possit ut Deus, causa omnium universalis et efficax, ita hominibus peccatum permittat quin ipsum peccatum in Deum tamquam ~~est~~ auctorem principalem reducatur.

a Quaestio non est de Deo tamquam causa peccati sed de Deo tamquam auctore peccati.

Causa est quae positive in aliud influit. Iam vero peccatum non est ens positivum; in peccatum non exsistit influxus positivus; et ideo stricte peccatum non habet causam.

Sed auctor est agens per intellectum qui non solum in alia influit sed etiam quae potest facere scit et sciens ~~hanc~~ eligit alia et alia omittit. Auctori ergo respondendum est non solum circa ea quae facit sed etiam circa ea quae facere omittit.

Quaeritur ergo cur Deus non dicatur auctor peccati: si vellet, omne prorsus peccatum impedire posset; quidquid enim vere vult, irresistibiliter vult; sicut agendo Deus est causa principalis omnium quae sunt inquantum sunt, videtur quod pariter Deus non agendo est auctor omnium quae non sunt inquantum non sunt.

b Quaestio non est de libertate peccatoris. Haec quaestio iam est soluta supra. Ex scientia enim Dei et voluntate Dei et actione Dei nihil deduci potest nisi necessitas hypothetica quae optime cum contingentia et libertate componitur.

Sed suppositis tum peccatum non esse ens positivum tum peccatorem libere peccare, remanet quaestio cur Deus non dicatur vere esse principalis ~~autem~~ auctor omnium peccatorum.

c Inprimis de peccato dicendum est.

Peccatum ergo est privatio debitae conformitatis inter actum humanum et proxime dictamen conscientiae, remote legem Dei.

Privatio est absentia entitatis debitae; quae entitas absens potest deberi vel simpliciter vel scdm quid; unde dividitur privatio in privationem simpliciter (ubi abest quod adesse simpliciter debet) et in privationem scdm quid (ubi abest quod adesse scdm quid debet).

Malum naturalis defectus et malum poenae sunt privationes scdm quid. Per haec mala abest quod adesse debet scdm regulam et legem cuiusdam naturae particularis; non tamen abest quod adesse debet scdm legem universalis naturae vel regulam divinae iustitiae. E.g. sit homo caecus quia cultellus oculos penetravit: scdm legem naturae humanae huic homini debetur potentia visiva; scdm legem naturae universalis non debetur huic homini suspensio legum naturalium scdm quas cultellus oculos penetrans eos destruit.

Malum vero culpae seu peccatum formale qua formale est privatio simpliciter. Per malum culpae abest quod debetur naturae humanae adaequate sumptae; abest quod debetur scdm legem universalis naturae et scdm legem supremam Dei. Quare malum culpae est privatio simpliciter.

Notandum denique est non solum ontologice sed etiam psychologice peccatum esse privationem. Peccatur enim contra legem sive positivam sive negativam; sed contra legem positivam peccatur non agendo scdm legem; et contra legem negativam peccatur non impediendo motum a lege prohibitum. In utroque ~~casu~~ casu peccatum consistit in defectu actionis, in privatione actionis debitae.

d Deinde, fallacia quaedam est amovenda. Quia inter esse et non esse non cadit medium, videtur pariter agere et non agere esse disiunctionem completam.

Sed agere dicitur dupliciter: uno modo, agere dicit actum secundum agentis, et ita entitative sumitur; alio modo, agere dicit denominationem agentis ex effectibus, et ita sumitur terminative. Praeter agere entitative et non agere entitative non datur tertium. Sed praeter agere terminative et non agere terminative dantur et tertium et quartum. Tot enim modis dicitur agere terminative quot sunt categoriae denominationis extrinsecas. Et quattuor sunt categoriae: ens positivum, non-ens et carentia, privatio scdm quid, privatio simpliciter.

Quaecumque ergo positive sunt, haec Deus scit et vult et facit, et quidem scit infallibiliter, vult et resistibiliter, facit indefectibiliter.

Quaecumque autem non sunt (sive non entia sive carentiae), haec non esse Deus scit, eadem non esse Deus vult, neque ut sint Deus facit.

Quaecumque vero sunt privationes scdm quid (malum naturalis defectus et malum poenae), haec Deus scit infallibiliter, sed ea directe non vult (nemo enim directe vult malum) sed indirecte vult volendo bonum g legis generalioris, ea directe non facit (nemo enim directe facit privationem) sed ea indirecte facit efficiendo actionem scdm legem generaliorem.

Quaecumque denique sunt privationes simpliciter (malum culpe, peccatum formale qua formale), ea Deus scit infallibiliter, sed ea non vult directe (nemo enim directe vult malum) neque ea vult indirecte (nam non existit lex generalior et bonum quoddam universalius cui coniunguntur), neque ea facit directe (nemo enim privationem directe facit) neque ea facit indirecte (nam non existit actio legis generalioris scdm quam indirecte Deus ea faceret).

[Dices: Deus saltem indirecte facit (ut causa prima) actionem peccati, puta, actionem physicam occidendi, etc. Respondetur: de ista actione non quaeritur, nam in tali actione non consistit peccatum formale qua formale. Quaeritur de defectu submissionis ad legem, de eo quod occisor sciens ~~et xxviii~~ motum suum occisivum esse moraliter malum non tamen impedivit talem motum. Hic defectus conformitatis ad legem neque directe neque indirecte a Deo efficitur.]

Quod Deus indirecte vult malum naturalis defectus et malum poenae sed Deus nullo modo vult malum culpe, est doctrina S. Thomae: "unde malum culpe, quod privat ordinem ad bonum divinum, Deus nullo modo vult; sed malum naturalis defectus et malum poenae Deus vult volendo aliquod bonum cui coniungitur tale malum."

I, q. 19, a. 9, c.

Porro, quod Deus neque directe neque indirecte vult, hoc Deus neque directe neque indirecte facit. Deus enim est agens per intellectum; efficit intelligendo et volendo, ita ut actio sua non sit realiter tertium quid praeter scientiam et volitionem.

e Tertio dicendum est de permissione divina.

Entitative permissione est actus voluntatis. Terminative respicit aliquam exceptionem a lege. Haec exceptio potest esse in se bona, et ita in genere sunt permissions a superioribus concessae. Iterum, haec exceptio potest esse in se mala sed cum bono praevalente connexa; et eiusmodi sunt exceptions quae inveniuntur in malo naturalis defectus et in malo poenae. Denique, exceptio quae permittitur potest esse et in se mala et sine bono praevalente connexa; et eiusmodi est exceptio quae in malo culpe invenitur.

Triplex ergo est permissione: permissione concessionis quae est directa volitio boni permissi; permissione tolerantis quae directe est volitio boni praevalentis et indirecte est tolerantia mali connexi; permissione prohibentis quae neque in directe neque indirecte est volitio mali quod permittitur.

De tertio genere permissionis agitur. Deus neque directe neque indirecte vult peccatum formale. Imo Deus positive et sine exceptione prohibet peccatum formale; neque solum prohibet sed peccatori dat lumen rationis naturale ut videat non esse peccandum et dat peccatori naturalem voluntatis motum ut velit bonum bonae conscientiae et ulterius dat lumen supernaturale et bonum motum supernaturale voluntatis. Numquam vero Deus positive quemquam movet ad peccandum, ubi "peccare" sumitur formaliter, scil. agendo deficere.

~~f Quarto dicendum est de causa permissionis divinae.~~

~~Prout permissione divina sumitur entitative qua actus voluntatis divinae, sic permissione divina non habet causam sed est ipse actus purus qui non causatur.~~

~~Prout vero permissione divina sumitur terminative, sic est peccatum permissum qua permissum. Et ibi clare est distinguendum inter peccatum permissum qua peccatum et peccatum permissum qua permissum; nam peccatum qua peccatum non habet causam est bonum in se vel in alio, non est volitum a Deo sive in se sive in alio, non est effectum a Deo sive in se sive in alio; sed peccatum qua permissum permissione prohibentis~~

~~f Quarto dicendum est de bonitate permissionis divinae.~~

~~Si sumitur entitative, patet permissionem divinam esse bonum; est enim actus voluntatis divinae qui identificatur cum ipso actu puro et ipso summo bono.~~

~~Si vero ~~sumitur~~ sumitur terminative, permissione divina habet bonitatem non in se sed in alio. Deus enim vult gloriam suam per bonitatem suam infinitam in creaturis manifestatam; vult ergo manifestationem sua misericordiae et sua iustitiae; vult ergo permissionem peccatorum ut sua misericordia et sua iustitiae manifestentur. Ita I, q. 23, a. 5, ad 3m.~~

g Quinto alia est fallacia excludenda.

Ex antecessis videtur concedi Deum indirecte velle pedcata: sicut vult suam misericordiam et suam iustitiam manifestatam propter suam gloriam, ita vult peccata commissa propter suam misericordiam et suam iustitiam manifestandam.

Respondetur distinguendo: ita vult peccata commissa, Nego; ita vult peccata permissa permissione prohibentis, Concedo.

Quae tamen distinctio ut intelligatur, ad ~~me~~ crucem totius quaestionis est penetrandum.

Fiat ergo instantia: qui vult peccata permissa etiam vult peccata commissa; nam saltem hoc de Deo valet ubi scientia permittentis non fallitur neque voluntati permittentis resistitur neque actio permittentis deficit.

Respondetur: si datur nexus intelligibilis inter permissionem et commissionem, C; si talis nexus non datur, N.

Iam vero non datur eiusmodi nexus intelligibilis: non datur enim identitas formalis, nam aliud formaliter est permettere quod a Deo fit, et aliud formaliter est committere quod a peccatore fit; neque datur nexus causae efficientis, nam ~~maxima~~ permissio divina non influit efficienter in commissionem peccatoris; neque datur nexus causae finalis, nam commissio peccatoris non est gratia sive permissionis divinae ~~ma~~ sive gratia misericordiae divinae manifestandae ~~ma~~ sive gratia iustitiae divinae manifestandae; neque datur ullus alias nexus intelligibilis.

Datur enim nexus intelligibilis inquantum connexa sunt intelligibilia; sed peccatum formale non est intelligibile; ergo peccatum formale non est subiectum cuiuslibet nexus intelligibilis, sive causae efficientis sive causae finalis sive alterius cuiuslibet.

Maior patet. Quod enim intelligibiliter cum alio connectitur, hoc intelligitur; et quod intelligitur, intelligibile est.

Minor est evidens. Peccatum enim non est scdm rationem humanam sed contra dictamen rationis; non est scdm ordinationem rerum intelligibilem a Deo conceptam sed contra hanc ordinationem. Quod directe opponitur tum rationi humanae tum intelligentiae divinae est inintelligibile. Quare insinuavit S. Thomas malum culpe esse falsitatem quamdam obiectivam. I, q. 17, a. 1, c.

Dices: sed peccatum saltem aliquo modo est intelligibile; intelligimus enim cur homines peccant.

Respondetur: intelligimus cur homines peccant, inquantum ipsum peccatum invenimus intelligibile, Nego, inquantum aliquod bonum ~~appens~~ apprens sed non ~~maxim~~ verum invenimus, inquantum aliquam intelligibilitatem apparentem sed non veram invenimus, Goncedo.

Ad quaestionem, cur angelus, cur Adamus, cur hic vel ille homo peccet, tandem denique semper est respondendum, Non est cur. Si esset cur, intelligibiliter egisset; si intelligibiliter egisset, scdm lumen rationis egisset; si scdm lumen rationis egisset, non peccasset sed bonum fecisset. Peccare enim est agere contra lumen rationis nostrae et contra lumen increatum Dei.

Deus ergo vult permettere peccata, et ita permettere est bonum; sed ita velle nullo modo est velle ipsa peccata sive directe sive indirecte, quia nullus est nexus intelligibilis quo transitur a peccato ad aliud.

Et sic solvitur ultimatum totum hoc problema: peccatum non reducitur in Deum tamquam in auctorem quia peccatum non habet illam intelligibilitatem quae supponitur ut ~~ix~~ in aliud reduci possit.

h Quaeri potest quid sit "intelligibilitas." Et respondeatur quod multipliciter dicitur.

Primo modo, intelligibile est omne id quod concipi potest. Sic nihil absolutum est intelligibile; concipitur enim ut id quod neque est neque esse potest.

Alio modo, intelligibile est omne id quod positive intelligendo concipitur, ubi "positive intelligere" est id quod in acuto frequentissime adest sed in stupido rarissime.

Positiva vero intelligentia est multiplex: est univoca circa obiectum proportionatum intellectus, et sic natura rei materialis est nobis univoce intelligibilis; est autem analogica circa obiectum adaequatum sed non proportionatum intellectus, et sic his in terris intelligimus Deum directe intelligendo creaturas et indirecte et per proportionem quamdam ad Deum ascendendo.

Iterum positiva intelligentia est vel tou intelligibilis in se vel tou intelligibilis in alio: in se intelliguntur forma et essentia; sed materia intelligitur non in se sed ex consideratione formae; et existere contingens non intelligitur in se sed ex dependentia ab existente necessario et in se intelligibili.

Quando ergo dicitur peccatum esse inintelligibile, non dicitur intelligibile primo modo; peccatum enim sicut et nihilum absolutum concipimus. Sed dicitur intelligibile secundo modo, ut negetur esse in peccato illa ratio positiva quae per actum intelligendi qua talem cognoscitur. Praeterea, peccatum dicitur non intelligibile est, non eo modo quo materia dicitur non intelligibilis ut tamen in alio intelligi potest; sicut enim peccatum non positive intelligitur in se, ita etiam non intelligitur vere in alio. Praeterea, peccatum dicitur non esse intelligibile, non eo modo quo nihil non est positive intelligibile, scil. per solam amotionem intelligibilitatis positivae; sed peccatum non est intelligibile non solum contradictorie sed etiam contrarie; peccatum enim opponitur intelligibili rerum ordinationi tum uti a Deo conceptae tum uti per consentiam manifestatae. Denique, peccatum non dicitur esse inintelligibile eo modo ut etiam apprens intelligibilitas ei denegetur; adest sane apprens intelligibilitas, quae tamen non est vera sed falsa; quare peccatum formale qua formale est falsitas quaedam obiectiva.

12. Positio S. Thomae et systemata saec. XVI inventa.

In positione S. Thomae distingui possunt et methodus et doctrina. Quaenam sit doctrina, consideratum est. Quaenam vero sit methodus, ex ipsa doctrina apparet, nempe, S. Thomam non construere speciale quoddam sistema circa efficaciam divinam sed supposito systemate suo generali adducere speciales distinctiones ad removendas fallacias et solvendas difficultates quae hanc materiam circumvolant. Quare methodus S. Thomae circa has quaestiones dici potest negativa; consistit non in elaboranda speciali quadam theoria sed in demonstrando efficaciam Dei et deinde omnes obiectiones solvendo.

Proprius ad methodum S. Thomae accedunt M. Banneziani, proprius vero ad doctrinam accedunt Molinistae.

In genere enim methodus Banneziana etiam est negativa: statuit quas credit veritates generales; deinde quantum fieri potest, difficultates oppositas solvere conatur.

Doctrina vero Banneziana in fere omnibus elementis differt a doctrina S. Thomae.

et causare

Id quod iure nominatur "praemotio physica" certo decebatur et ab Aristotele et a S. Thoma. Sed quod ab eis docetur, toto caelo differt a praemotione physica Bannezianorum. Scdm Ar et Aq, si agens interdum agit, requiritur ratio obiectiva ~~um~~ cur eo praecise tempore agat quo agit, cur non antea vel postea. Haec ratio obiectiva ~~um~~ est motus quidam praevius, sed non praevius natura tantum sed etiam tempore; unde Ar. aeternitatem mundi demonstrare voluit (cf. G. Gent., II 31-38). Hic motus praevius efficit debitam propinquitatem vel aliam habitudinem inter agens et patiens ut agens in patiens influere possit (cf. In VIII Phys., lect. 2). Hic motus praevius non necessario afficit agens sed est "vel ex parte motivi vel ex parte mobilis" (ibid.). Existit utique differentia inter Ar et Aq de hac re, sed non differentia quae favet Bannezianis; ~~um~~ in eo est quod S. Thomas, posita providentia causae universalis, considerat omnem praemotionem tamquam effectum intentum a causa universalis; intendere vero praemotionem est applicare agens ad patiens. Unde C. Gent. III 67 et De Pot q 3 a 7 demonstrant Deum omnia applicare ex brevi consideratione hierarchiae cosmicae Aristotelicae.

valido

Praemotio physica Banneziana non ponitur ad explicationem "quandoque moventium et motorum" sed ad explicationem causalitatis creaturae; non ponitur ut tempore prior sed tantum ut natura prior; non ponitur sive in agente sive in paciente, sed tantummodo in agente; tandem denique positio S. Thomae demonstrari potest et demonstratur, sed positio Banneziana nullo argumento sive auctoritatis sive rationis umquam est stabilita.

Imo, positio Banneziana non concipitur sine serie quadam confusionum. De confusione maxime fundamentali circa duplcam sensum potentiae activae, iam actum est; sed etiam aliae sunt. Dicunt praemotionem esse motum, ens incompletum, ens fluens. Existit sane motus in hoc sensu, nempe, actus entis in potentia prout huiusmodi. Sed demonstratur talis motus existere non posse nisi in corporibus quantativis et divisilibus (In VI Phys., lect. 5 et 12); Banneziani vero eum ponunt in anima spirituali, in intellectu, in voluntate, in angelis. Praeterea, eiusmodi motus non est causa sed est ipse effectus in fieri: motus localis est ~~XVII~~ fieri tou esse ubi, alteratio est fieri tou esse quale, augmentatio est fieri tou esse quantum (cf. In V Phys., lect. 2 - 4; in VII Phys., lect. 4 - 6). Huic confusione additur

alia confusio de virtute instrumentalis. Inter motum et virtutem instrumentalem exsistit analogia, exsistit coincidentia, sed non exsistit identitas. Exsistit analogia: sicut se habet motus ad terminum relate ad esse in termino, ita se habet virtus instrumentalis ad virtutem causae principalis; analogia in eo est quod in utroque casu primum habet rationem incompletam seu esse incompletum secundi. Exsistit coincidentia: simul ecommunicatur et eodem actu communicantur et motus et virtus a causa principali ad instrumentum; non una actione moveo claves machinae dactylographicae et alia ~~realiter~~ distincta actione efficio ut tali et tali ordine litterae exscribantur; sed machina accipit virtutem instrumentalem ad aliquid intelligibile exscribendum in quantum ~~realiter~~ accipit illud quo facit ut litterae debito ordine exscribantur; simul ergo machina accipit et motum et virtutem instrumentalem. Non exsistit identitas: quilibet potest movere instrumentum sed non quilibet potest dare instrumento virtutem artis, virtutem instrumentalem; optime possum movere claves organi; sed non possum claves movere secundum artem pulsandi organi. Haec omnia sunt adeo clara ut ~~per~~ puerulum ea facile intelligere dixeris. Neque dubitare potest utrum S. Thomas haec intellexit: quid praecise sit illa intentio de qua in De Pot., q. 3, a. 7 ad 7m, clare explicatur in quaestione de fato in I, q. 116, aa. 1-3; est ipsa seriatio, dispositio, relatio causarum secundarum; non est alia vis causalis praeter id quod causae secundae iam habent; etc.

a/ intellectus
b Praeter has diversitates circa quandoque moventia et mota, circa ipsum motum, circa virtutem instrumentalem, circa fatum, circa potentiam activam, exsistit aliud caput diversitatis circa efficaciam.

Uti supra exposuimus, S. Thomas docuit Deum infallibiliter omnia scire, irresistibiliter velle quocumque vult, indefectibiliter efficere quocumque fit; quibus tamen positis non sequitur omnia esse necessaria et nihil contingens, quia efficacia divina non est ordinaria sed transcendens. Haec S. Thomas, et recte quidem nam haec omnia demonstrari possunt. Sed Banneziani proprietatem transcendentiae, quae ad Deum pertinere demonstrari potest, ad creaturam suam, praemotionem physicam, transferunt: docent enim indefectibiliter et tamen contingenter haberi effectum praemotionis physicae; hoc sane neque demonstrant neque demonstrare possunt; dicunt tamen hanc esse doctrinam S. Thomae. Sed obstant due difficultates graves quarum prima est S. Thomam numquam docuisse eorum praemotionem physicam et altera est S. Thomam explicite docuisse transcendentem efficaciam ad solum Deum pertinere. "Hoc autem (scil. transcendere ordinem necessitatis et contingentiae) non potest dici de voluntate humana nec de aliqua alia causa: quia omnis alia causa cadit iam sub ordine necessitatis vel contingentiae; et ideo oportet quod vel ipsa causa possit deficere vel effectus eius non sit contingens sed necessarius." In I Periherm., lect. 14, §22; cf. in Met., lect 3, §1222.

c Tertium caput diversitatis est circa libertatem. Hac de re evolutionem subiit mens S. Thomae: cf. Lottin, Motion divine et liberte humaine, Rech. theol. anc. med., VII (1935) 52-69, 156-73. Banneziani sumunt doctrinam suam de I, q. 83, a. 1, non sensu affirmativo quo haec doctrina vera est, sed sensu exclusivo quo secundum S. Thomam haec doctrina vera non est; ut enim obiectiones Gentilium solveret in De Malo q. 6 et in I-II q. 9 addidit quod ipsa voluntas se movet quoad exercitum actus ut evitaret determinismum voluntatis per consilium intellectus.

autre

vide

p. 59 bis

Sed Banneziani hanc proprietatem transcendentiae transferunt ad creaturam suam, nempe, praemotionem physicam prout est instrumentum divinae voluntatis et divinae virtutis. De qua translatione tria sunt notanda.

Primo, proprietas transcendentiae est exclusive divina. "Hoc autem non potest dici de voluntate humana nec de aliqua alia causa: quia omnis alia causa cadit iam sub ordine necessitatis vel ~~ea~~ contingentiae; et ideo oportet quod vel ipsa causa possit deficere vel effectus eius non sit contingens sed necessarius." In I Periherm., lect. 14, §22; cf. In VI Met., lect. 3, §1222.

Secundo, proprietas transcendentiae divinae est in signo simultaneo cum effectu volito vel effecto a Deo. Nihil enim contingens de Deo praedicari potest nisi per denominans extrinsecum reale; non potest vere dici Deum hoc velle vel hoc intendere vel hoc efficere quin realiter ponatur ipsum hoc.

Tertio, Banneziani vel contra ~~proximam~~ primum vel contra secundum supra positum necessario offendunt. Nam ponunt in signo praevio intentionem divinam et praemotionem, in signo subsequenti effectum liberum. Iam vero aut vere habentur intentio divina de effectu per solam positionem praemotionis, et tunc ut praemotio sit denominans extrinsecum sufficiens debet necessario continere ipsum effectum; et sic praemotio qua creatura est causa necessaria et non contingens; vel non vere habetur intentio divina de effectu quando ponitur praemotio, et tunc si praemotio est causa necessaria, effectus non est contingens, sin autem praemotio est causa contingens, tunc praemotio non est efficax.

⁴¹ Tertium caput diversitatis est circa libertatem. Banneziani arbitrantur sufficere ad libertatem actus voluntatis ut consilium intellectus sit conclusio non necessitata a praemissis; et provocant ad I, q. 83, a. 1. Hunc locum ergo interpretantur non solum in sensu affirmativo sed etiam in sensu exclusivo. Quae interpretatio certo est falsa si totum opus S. Thomae consideras. Post enim partem primam conscriptam, ut respondere possit Gentilibus Parisiensibus determinismum voluntatis per intellectum praedicantibus, S. Thomas doctrinam suam in De Malo, q. 6, et I-II, q. 9, perfecit. Docuit voluntatem se ipsam libere movere in quantum in actu circa finem producit actum suum circa media. Quae libera sui ipsius motio intra ipsam voluntatem clare requiritur ut evitetur determinismus voluntatis ab intellectu. Vide D. Lottin, Motion divine et liberté humaine, Rev. theol. anc. med., VII (1935) 52-69, 156-73; brevius apud Lonergan, Theol. Stud., III (1942) 533-36.

d Quartum caput diversitatis inter Bannezianos et S. Thomam est circa peccatum. Banneziani admittunt valorem disiunctionis inter Deum agere et Deum non agere. Cur ergo Deus non sit auctor peccati, tandem denique dicunt esse mysterium. Satis constat S. Thomam non admittere illam disiunctionem: "... sicut creature decideret in k nihil nisi contineretur a Deo, ita etiam deficeret in non bonum si non contineretur a Deo. Non tamen sequitur quod nisi contineretur a Deo per gratiam, rueret in peccatum." De Malo, q 16, a 4, ad 22m. Aliud ergo est Deum agere, aliud Deum non agere, et tertium est Deum permettere peccatum.

Ad Molinistas transeamus.

Quoad methodum obvia est diversitas inter positionem S. Thomae et positionem Molinisticam. S. Thomas solvit difficultates; Molinistae vero imaginantur Deum conspicientem omnes mundos futuribilias et eligentem illum mundum in quo Paulus convertitur et Iudas ~~pendens~~ suspenditur ex hac theoria posita explicare omnia volunt. Finis Molinismi est ut intelligas; finis Thomismi est ut scias obiectiones solvere.

Quoad doctrinam autem Molinismus et positio S. Thomae quoad essentialia fere coincidunt.

a In utraque enim positione negatur transcendentia cuiuslibet creaturae: positis omnibus finitis requisitis ad agendum, non adhuc ad unum determinatur effectus contingens.

b In utraque positione gratia efficax et gratia mere sufficiens differunt non intrinsece sed extrinsece: apud Molinistas differentia extrinseca est in scientia futuribilium et electione divina; apud Aquinatem differentia est in intentione Dei volentis bonum actum vel permittentis defectum.

c In utraque positione requiritur scientia media, scil. alia scientia praeter scientiam simplicis intelligentiae qua cognoscuntur possimilia et scientiam visionis qua cognoscuntur actualia. Sed scientia media Molinistarum est scientia futuribilium; scientia vero media S. Thomae est scientia illa qua cognoscuntur peccata inintelligibilia.

d Circa futuribilia, distinguendum est inter nomen et rem. Secundum S. Thomam nihil potest esse futurum Deo, nam omnia ei sunt praesentia qui in tempore neque est neque esse potest. Sequitur quod nihil potest esse futuribile Deo. Alia ex parte quod nobis est futuribile, Deo est hypothetice actuale, hypothetice praesens. Neque positio S. Thomae ullo modo excludit Deum cognoscere hypothetice actualia.

e Attamen haec cognitio hypothetice actualium non videtur posse conferre ad solutionem ullius problematis. Si enim existit difficultas circa absolute actualia, eadem necessario difficultas existit circa hypothetice actualia. V.g. si in ordine actuali Deus nesciret quemadmodum cum homine concurrendum sit nisi habuisset scientiam ordinum hypothetice actualium, sane redit eadem quaestio circa ordinem hypothetice actualem; nam in ordine hypothetice actuali Deus concurreret et sine concursu non haberetur actio hominis ulla; sed antequam concurreret in ordine hypothetice actuali, deberet scire quemadmodum concurrendum sit; ponenda ergo videtur alia scientia de hypothetice-hypothetice actualibus, et ita regreditur in infinitum.

Difficultas haec non est ficta. Videte Lennerz, De Deo uno,

p. 227, §334, ubi admittitur Deus caece concurrere sed negatur caecitas haec esse proprie dicta. In hac solutione tria sunt distinguenda: primo, scientia Dei circa contingentia est simultanea cum ipsis contingentibus, nam nihil in Deo est contingens et ideo haec scientia vere quidem dicitur de Deo sed tamen per denominans extrinsecum; secundo, ~~appassim~~ haec simultaneitas dat apparentiam apparentiam caecitatis solummodo si Deus imaginatur tamquam aliquod ens temporale ~~mixxexxxm~~ qui futura et futurabilia vel iam conspicit vel nondum conspicit; quae apparentia utique est falsa, nam Deus est aeternus et omnia sunt ei praesentia, nihil vero futurum et nihil praeteritum; tertio, inquantum Molinismus offert positivam problematis intelligentiam et non meram obiectionum solutionem, uti apud S. Thomam, necessaria videtur doctrina de futurilibus non tantum qua hypothetice actualibus sed etiam qua Deo futurilibus.

f Alio fine apud S. Thomam, alio fine apud Molinam, ponitur in Deo tertia scientia praeter possibilium simplicis intelligentiae et visionis. Apud Molinam habetur haec tertia scientia non solum ut excludatur Deum esse auctorem peccati sed etiam ut excludatur hominem necessario velle quocumque vult. Apud S. Thomam solvitur problema de contingentibus sine recursu ad tertiam scientiam per solam distinctionem inter necessitatem absolutam et necessitatem hypotheticam; apud S. Thomam necessaria est dicta tertia scientia tantummodo ut excludatur Deum esse auctorem peccati.

g Denique ut antea dictum est, alia est doctrina S. Thomas de concursu, alia doctrina Molinae. ~~Non intelligere doctrinam~~
~~S. Thomas de concursu est communis Durando, Bannezianis, et Molinistis;~~
~~communis est eis omnibus quod ex eadem prorsus ratione, nempe, quod~~
~~non intelligunt intelligunt id quod intelligendo cognoscitur~~
~~esse reale; iam vero omnis causalitas qua causalitas intelligenda~~
~~cognoscitur; et ideo id quod vere est causalitas concursus divini~~
~~ab eis negatur; aliter tamen ab aliis, nam Durandus surrogatum~~
~~non ponit, Banneziani praemotionem physicam et Molinistae concursum~~
~~simultaneum ~~pannix~~ fingant sine demonstracione introducunt,~~
~~ut saltem assertis salvetur dominium divinum.~~

Thesis 5a.

Gratia actualis interna essentialiter consistit in actibus secundis intellectus et voluntatis vitalibus, principalibus, et supernaturalibus.

Ad terminos:

Gratia: ens reale, accidentale, homini gratis collatum in ordine ad Deum uti in se est possidendum.

actualis: quae respicit non qualitatem permanentem sed operationem transeuntem.

interna: recepta in potentiis animae superioribus, non prout haec potentia ab objectis moventur, sed prout immediate a Deo gubernatur gubernantur.

essentiale constitutivum: id quo posito habetur (1) ipsa res de qua quaeritur, (2) systematica deductio omnium eiusdem rei proprietatum, (3) nulla consequentia inconveniens.

actus: notio primitiva

actus secundus: actus simpliciter; opponitur actui primo qui scdm quid est actus et scdm quid est potentia.

vitalis: qui pertinet ad ordinem viventium qua viventium; puta, nutrire, generare (stricte), sentire, intelligere, assentiri, velle.

~~per se~~

~~Principalis: qui requiritur et sufficit ut a vivente produci possit omnis aliis actus intra determinatam speciem vel genus; V.g. si quis intelligit circulum, potest dicere verbum incomplexum quod est definitio circuli, potest dicere ~~xarum~~ verbum complexum quod est iudicium de existentia circuli, potest deducere proprietates circuli; similiter qui vult finem potest se movere ad volitionem mediorum.~~

~~principalis: actus secundus est principalis qui ex parte potentiae in qua recipitur se habet tamquam causa efficiens relate ad alios actus in eadem potentia receptos.~~

~~V.g. volitio medi producitur quoad specificationem non per actum in voluntate sed per actum in intellectu receptum; sed volitio medi producitur quoad specificationem per actum volendi finem qui actus in eadem voluntate recipitur ac ipsa medi volitio.~~

~~Similiter verbum sive incomplexum (definitio) sive iudicium complexum (iudicium) producitur in intellectu per actum intelligendi in eodem intellectu possibili receptum; sed actus in phantasia receptus et, quoad iudicium, etiam actus in sensibus externis recepti, influunt in verbum tamquam causee sed non ex parte potentiae.~~

principalis: actus secundus est principalis qui ex parte non ex parte obiecti sed ex parte potentiae subiectatae se habet tamquam causa efficiens relate ad alios actus in eadem potentiam receptos.

V.g. in actum voluntatis quo medium volitum influunt tamquam causae efficientes ex parte obiecti consilium intellectus quod actum specificat et ex parte potentiae subiectatae ipse actus finem volendi. Quare in voluntate actus secundus principalis est volitio finis. Nisi finem vis, media velle non potes.

Similiter in actum intellectus qui est verbum sive incomplexum (definitio) sive complexum (iudicium) influunt ex parte obiecti phantasma imo etiam quoad iudicium sensus exteriores, sed ex parte potentiae subiectatae influunt actus intelligendi. Quare in intellectu possibili actus principalis est intelligere. Nisi intelligis, non potes definire vel iudicare.

supernaturalis: sive stricte sive late.

stricte: actus cuius obiectum formale est simpliciter supernaturale, uti in actibus virtutum infusarum.

late: actus entitative naturalis sed immediate et gratuito a Deo productus, e.g. ut peccator possit totam legem naturalem quoad substantiam observare.

Sensus theseos:

Quaeritur quid sit gratia actualis interna.

Respondetur gratiam actualem internam essentialiter consistere non in actibus primis sed secundis; non in actibus solius intellectus vel solius voluntatis sed utriusque; non in actibus incompletis vel fluentibus vel intentionalibus sed in actibus vitalibus, nempe, intelligere et velle; non in actibus derivatis ab aliis actibus in eadem potentia receptis (qui tamen gratiae esse possunt sed non essentialiter sed consequenter) sed in ipsis actibus principalibus a quibus omnes alii intra determinatam speciem vel genus efficienter causantur; non in solis actibus entitative supernaturalibus qui per se ordinantur in Deum ut i in se est possidendum sed etiam in aliis vere gratuitis qui per accidens ita ordinantur.

Respondetur magis positive gratiam actualem internam in intellectu possibilia esse quoddam intelligere, puta, lumen fidei in actu secundo, vel illuminatio a Spiritu sancto fonte intellectus, scientiae, sapientiae, consilii; quod intelligere est actus secundus immediate a Deo in nobis sine nobis causaliter efficientibus productus.

Iterum, gratiam actualem internam in voluntate receptam esse actum volendi finem supernaturalem (per accidens, volendi bonum naturale et honestum secus non volitum), qui actus immediate a Deo in nobis et sine nobis causaliter efficientibus producitur.

Sententiae:

a Molinistae.

Gratia actualis interna consistit in actibus vitalibus supernaturalibus intellectus et voluntatis.

Quoad hos actus distinguitur duplex causa efficiens: alia causa est Deus concurrens et producens actum qua gratiam; alia causa est facultas concurrens et producens actum qua vitalem.

Hi actus dividuntur in deliberatos et indeliberatos; actus deliberatus est gratia adiuvans; actus indeliberatus est gratia excitans; gratia excitans dat vires tum physicas tum morales ad actum deliberatum ponendum.

Actus ~~de~~ indeliberatus concipitur, non ut actus principalis, sed ut motus quidam et affectus voluntatis; producitur a voluntate concurrente eo modo quo actus primo primus a voluntate producitur.

b Suareziani.

Cum Molinistis concordant quoad caetera; dicunt vero gratiam excitaritem dare vires ~~phys~~^{morales} quidem ad actum deliberatum, non vero dare vires physicas.

c Banneziani.

Gratia actualis interna essentialiter ~~non~~ consistit in actu quolibet vitali sed in praecedente quodam motu qui nominatur praemotio physica.

Haec praemotio physica est ens quoddam incompletum, scdm alios in genere qualitatis et scdm alios non in genere qualitatis, scdm alios quid intentionale et scdm alios non quid intentionale.

Haec praemotio physica ad actum supernaturalem et ipsa sit supernaturalis necesse est; quare rite gratia vocatur; et a solo Deo in nobis sine nobis sive causantibus sive vitaliter elicientibus producitur.

Alia est praemotio ~~physica~~ ad posse ponere actum salutarem, et alia ad ipsum ponere actum salutarem; illa gratia est sufficiens, haec vero est efficax; posita praemotione physica, repugnat non dari id ad quod ponitur, utique in sensu composito. Tamen de hac divisione non uno modo omnes auctores huius scholae loquuntur.

d Semi-Banneziani.

Cum Bannezianis quoad caetera concordant; sed tamen negant notionem de gratia sufficienti; et non requirunt praemotionem physicam ad omnem actum sed tantum ad actus principales; quibus habitis, potest homo agere vel non agere sine ulteriori addito.

e Sententia quam credimus S. Thomae.

Cum Molinistis concordat inquantum reicitur motus ille fluens et gratia actualis interna dicitur ipse noster actus secundus et vitalis.

Cum Suarezianis concordat inquantum negatur ~~quodlibet~~^{omnem}, actum indeliberatum dare vires physicas; sed differt affirmando actus ~~indeliberatos~~ principales dare tum vires physicas tum morales.

Cum Bannezianis concordat inquantum gratia actualis interna sine nobis causaliter efficientibus produci dicitur, sed non inquantum sine nobis vitaliter elicientibus produci dicitur; vitaliter enim ~~est~~, sicut intelligere, est pati quoddam.

Cum semi-Bannezianis concordat inquantum insistunt in actibus principalibus.

Probatio:

Probatio triplici gressu perficitur, primo, quod existunt existunt actus secundi intellectus et voluntatis vitales, principales, et supernaturales; secundo, quod hi actus habent omnem proprietatem gratiae actualis internae essentialiter consideratae; tertio, quod nullum inconveniens sequitur ex eo quod hi actus ponuntur tamquam essentialia constitutiva gratiae actualis internae.

1. Existunt actus secundi intellectus et voluntatis, vitales, principales, et supernaturales.

Existunt eiusmodi actus si existit ullus actus supernaturalis formaliter liber.

Atqui existunt actus supernaturales formaliter liberi.

Ergo existunt eiusmodi actus, nempe, secundi, intellectus et voluntatis, vitales, principales, et supernaturales.

mai: Sit actus supernaturalis formaliter liber.

Hic actus supponit causam suae specificationis; quae causa est quoddam iudicium practicum in intellectu possibili; quod iudicium practicum est verbum complexum; porro, omne verbum procedit a quodam intelligere tamquam a causa efficienti, et ideo hoc iudicium practicum procedit a quodam intelligere; hoc intelligere aut pendet ab alio intelligere aut non, scil. aut est terminus alicuius ratiocinationis aut non; sed omne intelligere ratiocinium supponit aliquod intelligere; et ita tandem denique ad aliquod intelligere primum pervenitur.

Proinde nisi hoc intelligere sit expressum principale esset supernaturale, iudicium practicum non posset esse supernaturale; nisi iudicium practicum non esset supernaturale, volitio ab eo specificata non posset esse supernaturalis; sed supponitur volitio esse supernatral supernaturalis; ergo si habetur volitio formaliter libera et supernaturalis, necessario etiam habetur quoddam intelligere principale et supernaturale. Denique omne ex intelligere ex natura sua est actus secundus intellectus et vitalis.

Sed actus supernaturalis formaliter liber non solum supponit causam suae specificationis sed etiam causam sui exercitii; quae causa est alia volitio magis generalis; fieri potest ut etiam haec volitio magis generalis ab alia volitione generaliori pendet, sed tandem denique necessario sistitur in primo quodam et principali actu volendi qui est volitio finis. Porro ex natura sua velle finem est actus voluntatis secundus et vitalis; ex argumento est principalis; ex impossibilitate volendi medium supernaturalem ad finem naturalem, haec volitio finis est et ipsa supernaturalis.

min: patet constat inter theologos.

2. Actus secundi intellectus et voluntatis, vitales, principales, supernaturales habent omnes proprietates gratiae actualis internae.

Probatur per partes, nempe, deducendo proprietatibus gratiae actualis internae ex conceptu ~~huius~~ horum actuum.

Brevitatis causa, scribetur "actus SIVVPS"

a Prima proprietas: gratia actualis realiter distinguitur a virtute infusa.

Actus enim SIVVPS sunt actus secundi; virtutes infusae sunt actus primi; actus secundus realiter distinguitur ab actu primo.

b Secunda proprietas: ad actum supernaturalem non sufficit virtus infusa.

Virtus infusa est actus primus; actus ~~proximus~~ primus non est principium proportionatum ad causalem efficientiam actus secundi, nam minus perfectum non potest producere magis perfectum.

c Tertia proprietas: ad actum supernaturalem non sufficit motio ex parte obiecti.

Obiectum intellectus est per sensum; sed sensus non potest influere in intellectum possibilem sine intellectu agente; et sensus etiam cum intellectu agente non potest influere in actum supernaturalem in intellectum possibilem; nam intelligibilitas supernaturalis excedit proportionem intellectus creati. DB 1796.

Obiectum voluntatis est per intellectum; sed intellectus causat tantummodo specificationem actus voluntatis; exercitium actus volendi medium causatur ab actu volendi finem; ~~maxime~~ ~~maxime~~ et volitio finis causatur ab exteriori principio quod est Deus. I-II, q. 9, a. 4.

d Quarta proprietas: ad omnem actum supernaturalem requiritur gratia actualis interna.

Actus enim supernaturalis aut est ipse actus principalis aut alius a principali productus; et in utroque casu necessario habetur actus principalis.

e Quinta proprietas: gratia actualis interna consistit cum in ~~in~~ illuminatione intellectus tum in inspiratione voluntatis.

Actus secundus principalis supernaturalis in intellectu est quoddam intelligere; intelligere vero est lumen qua in intellectu possibili receptum. Actus Secundus principalis supernaturalis in voluntate est quoddam velle finem; et velle finem ~~et~~ est amorem spirari erga finem.

f Sexta ~~proxima~~ proprietas: gratia actualis interna dat vires cum physicas tum morales.

Actus SIVVPS dant vires physici in quantum sunt actus secundi proportionati ad productionem aliorum actuum.

Actus SIVVPS dant vires morales in quantum sunt et verum supernaturale intelligere et bonum supernaturale velle.

g Septima proprietas: gratia actualis interna dividitur in auxilium ordinarium (quod ad quemlibet actum supernaturalem requiritur) et auxilium speciale (quod ad posse diu perseverare requiritur, DB 832).

Actus SIVVPS possunt esse tantummodo actuationes perfectionum quae iam in habitibus et dispositionibus intellectus et voluntatis possidentur; et saltem hoc ad quemlibet actum supernaturalem requiritur.

Sed etiam actus SIVVPS possunt esse maioris perfectionis inquantum verum latius vel clarus intelligitur et bonum latius et efficacius volit in actu secundo quam ex mera actuatione habituum et dispositionum haberetur; et eiusmodi actus SIVVPS recte vocantur auxilia specialia.

h Octava proprietas: gratia actualis interna includit non solum actus indeliberatos sed etiam actus deliberatos.

Ipsi actus SIVVPS sunt indeliberati, non eo sensu quod sunt motus primo primi, sed quia sine his actibus impossibile est existentibus impossibile est deliberare; deliberare enim supponit aliquam veri cognitionem et aliquam boni volitionem; deliberare vero ad consilium supernaturale supponit quoddam intelligere ad dicendum verum supernaturale ideoque illuminationem intellectus et quoddam velle finem supernaturalem ideoque inspirationem voluntatis.

Etiam actus deliberati sunt gratiae actuales internae, non quidem essentialiter sed consequenter; effectus enim causae assimilatur; sed causa est actus principalis et gratuitus; ergo etiam effectus erit ex gratuito.

i Nona proprietas: gratia dicitur operans inquantum mens nostra movetur et non movet, praecipue quando quis incipit velle bonum/quando prius non volebat. I-II, q. 111, a. 2, c.

Actus SIVVPS non possunt a nobis produci sive per virtutem infusam (supra, b) sive per motionem ex parte obiecti (supra, c); et tamen in nobis sunt (supra, de existentia). Relinquitur ergo ut in nobis sine nobis a Deo solo producantur; et ideo quoad hos actus mens nostra (et intellectus et voluntas) est mota et non movens.

Maxime vero actus SIVVPS sunt gratia operans quando sunt auxilia specialia quibus incipimus verum latius et clarus intelligere et bonum latius et efficacius velle.

j Decima proprietas: gratia dicitur cooperans inquantum mens nostra et movetur et movet. I-II, q. 111, a. 2, c.

Quoad ipsos actus SIVVPS movemur tantum; sed his actibus receptis, habemus principia activa proportionata ad alios actus supernaturales producendos; et sic etiam nos ipsi movemus ad actus supernaturales efficiendos.

k Undecima proprietas: eadem gratia est et operans et cooperans sed distinguitur ex diversitate effectus. I-II, q. 111, a. 2, ad 4m.

Actus SIVVPS scdm quod recipiuntur in nobis sine nobis sunt gratiae operantes; scdm quod alios actus supernaturales producunt, sunt gratiae cooperantes.

l Duodecima proprietas: gratia dividitur in praevenientem et subsequentem. I-II, q. III, a. 3.

Actus SIVVPS sunt gratiae praevenientes vel subsequentes scdm quod alius alium tempore antecedit vel subsequitur; maxime vero ponitur haec distinctio relate ad tempora specialia, puta, praecedit quod convertimus et subsequitur quod bonum ita volitum per maiores vires morales in praxin ducitur; ita in ultima caena Petrus erat paratus scdm voluntatem pro Domino mori et tamen ter Dominum negavit, sed in fine vitae Petrus habuit non solum gratiam bonae voluntatis praevenientem sed etiam gratiam efficacis voluntatis subsequentem, et ita factus est martyr.

m Tertia decima proprietas: gratia dividitur in excitantem et adiuvantem.

Actus SIVVPS in quantum recipiuntur, nos excitant: illuminati enim verum & perspicimus, et inspirati bonum volumus.

Actus SIVVPS in quantum in alios actus supernaturales efficiendos influunt, nos adiuvant.

n ~~Quarta decima proprietas: gratia actualis dividitur in efficacem et sufficientem.~~

~~Deus potest efficere actus ~~SIVVPS~~ dupliciter; uno modo, cum intentione ut homo cum hoc actu cooperatur; alio modo, cum permissione ut homo cum hoc actu non cooperetur. Iam vero repugnat infinitae Dei perfectioni ut sua intentio deficiat et homo non cooperetur; et sic antecedenter ad hominis cooperationem habetur gratia certo efficax. Si vero Deus non intendit cooperationem, permittit non-cooperationem; et sic habetur gratia mere sufficiens.~~

o ~~Quinta decima proprietas: gratia efficax et gratia sufficiens inter se differunt non entitative et intrinsece sed extrinsece.~~

~~Tota enim differentia facit in intentione vel permissione divina.~~

n Quarta decima proprietas: omnis gratia actualis est vere sufficiens.

Nam actus SIVVPS sunt principia activa proportionata ad alios actus supernaturales producendos.

o Quinta decima proprietas: quaedam gratiae actuales sunt efficaces.

Possunt esse efficaces omnes, nam omnes sunt efficientes et sufficientes.

Si vero ad gratiam vere sufficientem accedit intentio Dei ut homo cooperetur, fieri non potest ut homo non cooperetur; repugnat enim infinitae Dei perfectioni ut sua intentio deficiat. Et sic per intentionem Dei gratia vere sufficiens & etiam est gratia efficax.

p Sexta decima proprietas: gratia actualis potest esse vere et mere sufficiens.

Nam actus SIVVPS dant posse agere et quidem complete quin necessario homo cum his actibus gratis datis cooperetur; cooperatio enim hominis est libera; neque semper Deus intendit ut homo cum gratia cooperetur (DB 1093).

Attamen velle finem et non velle media est irrationabile; quae irrationabilitas non reducitur in Deum sive directe sive indirecte agentem vel volentem, nam reductio supponit intelligentiam eius quod reducitur; sed haec ~~x~~ irrationabilitas praesupponit Deum permittentem, non quidem permissione concessionis sed permissione ~~tolerantiae~~. Vide supra, de efficacia divina.

Quare illi actus SIVVPS sunt vere et mere sufficietes gratiae quibus accedit permissio divina ut homo cum eis non cooperetur.

q Septima decima proprietas: gratia actualis efficax et gratia actualis vere et mere sufficiens differunt non intrinsece sed extrinsece.

Gratia enim est efficax quia est principium efficiens ~~xxx~~ vere sufficiens cui accedit intentio Dei ut homo cooperetur.

Gratia vero est vere et mere sufficiens quia est omnino simile principium efficiens cui accedit permissio Dei ut homo non cooperetur.

~~Tota ergo differentia in eo est quod accedit intentio vel permissio divina, quod est extrinsecum ipsi gratiae. Et haec differentia est tota differentia: gratia efficax non dat maiores vires physicas tamquam si gratia sufficiens non sit vere sufficiens; gratia efficax non dat maiores vires morales tamquam gratia sufficiens sit incongrua. Sed omnis gratia actualis non invenit sed facit hominem perspicere verum supernaturale et amare bonum supernaturale; non invenit sed facit vires physicas; non ~~xxx~~ supponit sed dat vires morales. Sane fieri potest ut gratia efficax dat maiores vires physicas et morales, sed non ideo est haec gratia efficax; etiam fieri potest ut gratia mere sufficiens dat maiores vires physicas et morales et tamen homo non cooperetur~~

Tota ergo differentia in eo est quod alii gratiae accedit intentio divina qua est efficax, et alii gratiae accedit permissio divina qua est mere sufficiens. Per se efficacia et inefficacia non habentur ex viribus sive physics sive moralibus ipsius gratiae; sic enim tolluntur et libertas et meritum iusti, et Deus fit auctor principalis relate ad peccatum iniusti; quare Deus nulli dat gratias incongruas sed per gratiam facit homines ~~xxx~~ congruos Deo et bonis operibus; nec umquam dat Deus gratias quae dant posse agere et non actu agere, qui enim dat vere posse eo ipso dat virtutem actu agendi.

Supernaturalis

r Octava decima proprietas: quidquid boni vult et facit homo, hoc ex gratia Dei habet; quidquid vero mali vult et facit homo, hoc sine Deo et contra Deum ex se ipso habet homo.

Actus SIVVPS sunt actus principales in nobis sine nobis a Deo producti; per hos actus principales facimus quidquid boni volumus et facimus; et sine his actibus nihil supernaturale velle vel facere possumus. Iam vero causa causae est causa causati, et prima causa magis influit in effectum quam causa secunda. Ergo quidquid boni vult et facit homo, hoc ex Deo habet; libere quidem cum gratia per gratiam homo cooperatur; sed ipsum eius velle cooperari ex gratia est.

Quidquid vero mali vult vel facit homo, hoc sine Deo et contra Deum ex se ipso habet homo. Deus enim per gratiam dat homini et verum intelligere et bonum velle; homo ~~invenit~~ volens finem ex gratia et potens media velle tamen media non vult; quam irrationalitatem Deus prohibet; neque haec irrationalitas in Deum tamquam in causam sive directe sive indirecte agentem reducitur; ergo malum culpe fit contra Deum prohibentem et sine Deo agente ~~invenit~~ ut culpa sit.

Quare dicitur: "Sine me nihil potestis facere" (Io. 15, 5) et "Sufficientia nostra ex Deo est" (2 Cor. 3, 5) et "Deus enim est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate (sua)" (Phil. 2, 13) et "Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum" (Io 6, 44) et "Quid autem habes quod non accepisti" (1 Cor. 4, 7) et "Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum" (DB 195).

N.B. Quaeri potest quemadmodum differat gratia efficax supra descripta a gratia efficaci Bannezianorum. Banneziani enim non dicunt eorum gratiam efficacem qua creaturam et cum praecisione ab intentione divina esse efficacem.

Respondetur quod duplex maxime est differentia.

Primo, intentio divina efficax Bannezianorum est in signo praevio ad positionem actus liberis; intentio divina efficax S. Thomae est in signo simultaneo cum positione actus liberis. Quare scdm Bannezianos intentio divina una cum praemotione physica sufficient ad rationem gratiae efficacis, praecisione facta a positione actus liberis. Sed scdm S. Thomam non habetur intentio divina ut actus liber ponatur quin realiter etiam habeatur ipse actus liber; nam intentio divina de Deo praedicatur contingenter et ideo per denominans extrinsecum reale.

Secundo, Banneziani confundunt duplarem sensum potentiae activae, ita ut eorum gratia sufficiens non sit sufficiens; ita enim concipiunt potentiam activam ut re vera nulla potentia activa haberi possit antequam recipiatur praemotio physica; quare, quamvis dicant eorum praemotionem physicam esse efficacem, non qua creaturam sed qua coniunctam cum intentione divina, tamen re vera scdm ipsum eorum conceptum de potentia activa eorum praemotio physica ~~est~~ possit esse efficax etiam inquantum est creatura et sine ulli respectu ad intentionem divinam.

3. Ex hac positione nullum sequitur inconveniens.

Inconveniens adesse potest sive positive ex eis quae affirmantur sive negative ex eis quae negantur. Atqui neutrum dici potest. Ergo nullum inconveniens adesse potest.

Maior videtur enumeratio completa et minor per partes probatur.

a Ex ipsa positione actuum SIVVPS nullum inconveniens sequi potest.

Nam ex eo quod certo existit nullum inconveniens deduci potest. Atqui actus SIVVPS certo existere supra est demonstratum. Ergo ex ipsa positione actuum SIVVPS nullum inconveniens sequi potest.

b Ex eo quod actus SIVVPS dicuntur in nobis sine nobis causaliter efficientibus a solo Deo produci, nullum habetur inconveniens.

Potest videri quod inconveniens ita adest: implicite enim negatur quod omnis actus vitalis necessario ab ipso actus subiecto efficientia causali producitur.

Sed re vera nullum adest inconveniens sive metaphysicum sive physicum sive morale.

Nullum adest inconveniens metaphysicum. Nulla enim ~~est~~ est lex metaphysica secundum quam actus qui non producitur ab ipsius subiecto non est vitalis; ~~sicut~~ lex enim metaphysica non admittit exceptiones, ideoque ubi ~~gazat~~ certo adest exceptio non adest lex metaphysica. Iam vero certum est actum purum esse vitalem et certum est actum purum non produci causali efficientia a se ipso.

Nullum adest inconveniens ~~mat~~ physicum. Tuto enim quis Aristotelem et Aquinatem concordantes sequitur. Atqui utarque docet sentire produci ab obiecto sensibili, intelligere esse pati, appetitum moveri ab appetibili apprehenso; praeterea in posteriori doctrina Aquinas docuit velle finem quoad exercitium actus produci a principio extrinseco quod est Deus.

Nullum adest inconveniens morale: gratia enim operans est qua movemur et non movemus; est qua incipimus velle bonum quod prius non volebamus; et suppositia hac finis volitione, gratia fit cooperans relate ad actus circa media ad finem. I-II q 111 a 2 c et 3m.

c Contra, si quis vult actus SIVVPS a nobis efficienter causantibus quodammodo produci, vera inconvenientia sequuntur.

Si enim quis loquitur in sententia Molinistarum, ponit Deum et hominem ex aequo concurrentes simultanei; iam vero concursus simultaneus intelligitur relate ad effectum materialem et quantitativum ubi totus effectus nihil est aliud quam additio vectoralis partium; ita plures homines eamdem navem trahunt. Sed non intelligitur additio vectoralis spiritualis qua homo producit actum qua vitalem et Deus eamdem actum producit qua supernaturalem. Quod vero neque in se intelligitur neque aliunde demonstratur, est gratis assertum et gratis negandum.

Si autem quis loquitur in sententia Bannezianorum et semi-Bannezianorum, ponit ante actus SIVVPS motum quemdam qui est ens incompletum et fluens et quoddammodo intentio. Et hoc non solum non intelligitur sed est positiva confusio.

Motus enim qui est ens incompletum et fluens est actus exsistentis in potentia prout huiusmodi; qui motus exsistere non potest nisi in subiecto materiali qua materiali, quantativo, divisibili sine fine; et ideo repugnat eiusmodi motum recipi in potentia spirituali sive intellectu sive voluntate.

Praeterea, etiamsi per impossibile reciperetur non esset principium activum sufficiens ad productionem actuum SIVVPS a subiecto; nam motus non est causa efficiens termini sed tou esse in termino sed est ipsum fieri tou esse in termino; e.g. motus ad qualitatem qualitatem non est causa efficiens qualitatis sed est ipsa qualitas in fieri.

~~Praeterea, esse incompletum et fluens non est principium activum sufficiens nisi ad aliud esse incompletum et fluens producendum; scilicet unus motus potest alium motum producere; sed nisi prior motus ad suum terminum pertingit, posterior non potest ad suum terminum pertingere.~~

Dices: quamvis motus non sit effectum operans sed ipse effectus in fieri, nihil tamen prohibet unum motum producere alium, unum effectum in fieri producere alium effectum in fieri. Respondetur: nisi prior motus ad terminum pertingit, non potest posteriorem motum producere ad suum terminum; esse incompletum non proportionatur nisi esse incompleto.

Praeterea, vanum est effugium ad virtutem instrumentalem, virtutem artis, intentionem de qua De Pot q 3 a 7 ad 7m. Quid praecise sit ista intentio requisita ut causa creata actualiter agat, clare dicitur in I, q. 116, aa. 1-3 ubi de fato quod est participatio providentiae divinae in causis secundis recepta ut effectus producant; hoc fatum est non qualitas neque motus sed relatio (a. 2, ad 3m) et non est principium causale superadditum ipsis causis secundis (a. 2, ad 2m). Iam vero gratia actualis non est sola relatio; et certo addit principium causale efficiens super naturam et virtutem infusam.

Praeterea, contra Bannezianos strictos, qui requirunt hoc ens incompletum, fluens, intentionale ad omnem actum, sequitur sublatio libertatis (nam homo non potest aliter agere), tollitur meritum quod supponit actum liberum (DB 1094), et Deus fit auctor peccati (aut dat motum et homo bene agit, aut non dat et homo peccat).

Praeterea, contra ~~Bann~~ semi-Bannezianos, qui requirunt hoc ens incompletum, fluens, intentionale ad actus principales sed non ad actus deliberatos, adest hoc inconveniens quod ratio cur requiratur tale ens incompletum, etc., assignari non potest. Lex enim metaphysica non admittit exceptiones; si non requiritur ad omnem actum, cur umquam requiratur?

Dices: in sacramentis adest vera causalitas efficiens instrumentalis ad producendam gratiam; haec virtus instrumentalis adest per motum; a pari, Deus producit actus SIVVPS in nobis per gratiam quae est motus et virtus instrumentalis. Respondeo: sacramenta esse signa materialia et ideo subiecta possibilia motus stricte dicta; praeterea, sacramenta causare significando, nam virtus instrumentalis in sacramentis est significatio efficax ex imperio divino. Unde nego paritatem: subiectum gratiae actualis non est materiale; et ipsa gratia actualis non agit significando.